IMAGO
B. MARIAE
VIRGINIS

QVAE APVD VENERANDAS SS. SIXTI & Dominici Moniales à mille ferè annis maximo cultu asseruatur

VINDICATA

Et in pristinam dignitatem restituta à Florauante Martinello.



ROMAE. Typis Bernardini Tani. MDCXLII.
Superiorum permissu.

Imprimatur, si placet Reuerendissimo Magistro Sac. Pal. Apost.

Io:B. Episc. Cam. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Reginaldus Lucarinus Magister Sacri Palatij Apostolici.

EMINENTISS. PRINCIPI

FRANCISCO
BARBERINO

S. R. E.

CARDINALI VICECANC.

Florauantes Martinellus.



QVÆ de celeberrima Virginis tabula ante aliquot annos edidi, cum reprehensores inueniſſent, coactus ſum paulò latiùs explicare, ac pro viribus tueri. Pietas initio ſuaſit, vt ſcriberem; eadem modò ad defenſionem animauit: nec bonæ artes, ac literæ, quarum ope inchoata illa, & rudia prodierant, ſuam ad hæc paulò pleniora,

niora, & abſolutiora operam deſiderari ſunt paſſæ. Iam minùs mirabere, Cardinalis Ampliſsime, quòd tibi labor hic meus inſcriptus ſit. Patronum operi quęrerem? ad quem enimuerò tutiùs confugerem, quàm ad eum, cui ſe tuendam pietas, cuius hìc cauſa agitur, diſciplinarumq; omnium ſtudia commiſere? Quòd ſi certaminis iudicem legere magis placeret, apud nullum ſanè libentiùs de pio eruditoq. argumento diſceptare poteram, quàm apud eum, quem religio vindicem adoptauit, cuiuſq; eſt de omni literatura, ac præſertim antiquitate, quæ eſt huius controuerſiæ ſedes, limatum maximè intelligenſq; iudicium. Omitto tua in me beneficia, quæ animo penitùs infixa, nil à me elaborari permittunt, quòd illa ſuo ſibi iure nõ repoſcant. Quæ me, vt hunc tibi libellum dicarem, im-

pu-

pulerunt, eadem, vti ſpero, qualecunque hoc munus tibi non ingratum efficient. Nimirum ità literas, ità pietatem amas, vt earum te etiam lineamenta quãquam non à peritiſsimo artifice conformata delectent; nec potes tibi addictos & mancipatos non amanter excipere, qui alienos benignè complecteris.

IN

INDEX.

Fri-

Para-

FINIS.



Vera Imago B.V. Mariæ Monialium SS. Dominici & Xysti de
Vrbe. Opus S. Lucæ Euangelistæ. Romæ Superioꝝ. licentia.

FLORAVANTIS
MARTINELLI
DILVCIDATIO NOTARVM & obseruationum historicarum

Ad Narrationem de prima origine & inuentione Imaginis Beatæ Mariæ Virginis Monasterij SS. Sixti & Dominici, editarum anno 1635.

MAgnæ Virginis Imago, velut ingens thesaurus, in monialium SS. Sixti & Dominici religiosissimis claustris absc ōdebatur: hæc, piorum oculis abdita, publica veneratione carebat, Vrbsq; triumphalis tantæ Imaginis gloria priuabatur. Hinc fama, quæ, iuxta illud Virgilianum,

mobilitate viget, virésque acquirit eundo,

immobiliter sacro fixa claustro, opus Dei diuulgare nequibat; nisi pedes eius ab opusculo, quod typis Ludouici Grignani ann. 1635. euulgaui, alas sumpsissent. Inde illam videndi effrænata eruditorum virorum studia amplius latere non poterant; piorum mentes desiderio æstuabant illa fruendi. Idcirco sanctimoniales die 17. Iunij 1640. publica solemnique pompa extra claustra Imaginem deferri permittunt; de quo fama

A per

per religiosissimam Vrbem haud difficilè peragrauit. Tunc sine mora de quacunque Vrbis regione populus, ingenti plausu & deuotione, monasterium petit, ad sanctissimam Imaginem videndam, colendam, venerandam. Propterea supra maiorem aram aliquot illa diebus fuit exposita, sacro per singulos dies ritu, concionibus, & musicis concentibus celebrata. Postea die 30. Iulij in nobili loculo, gemmis, auro, alijsque ornamentis elegantissimè culto, illam moniales condi curarunt publicæ venerationi.

Hac arrepta occasione Franciscus Maria Torrigius Narrationem italicè primò Asculi à Fr. Paulo Vicentino Ordinis Prædicatorum, huius Monasterij Confessario anno 1583. & latinè secundò à me editam notisq; illustratam, repetendam instituit, eamq; triginta tribus comprehensam capitibus typis Manelphi anno 1641. italicè edidit, operique nomen indidit *Historia della venerabile Imagine di Maria Vergine posta nella Chiesa del Monastero delle Reuerende Monache de SS. Sisto, e Domenico di Roma*. in qua cum aliquid suæ historiæ repugnans obseruauerit in mea edita Narratione; quòdque honorificentiæ sacræ Iconis, & sanctimonialium minùs vtile dignoscatur, eandem cum notis, & obseruationibus, iam editis auctioribus, cogor exponere; rationèsque, quibus fulcitur quidquid euulgaui, publicandas duxi, vt veritas maiori ventilatione elucescat, ac Imagini nihil antiquitatis & deuotionis detrahatur.

NArrationem igitur ex vetustissimo Codice m. s. Sanctę Cęcilię trans Tiberim fideliter repręsentaui, in qua intentionis meæ fundamentum consistebat; & breuibus ad illam explicandam illustrandamq;

vsus sum notis, ratus, nihil amplius, ad Imaginis cultum in eruditorum virorum mentibus excitandum, opus esse. Eandem iteratò referam ex codice monialium SS. Sixti & Dominici, cum aliqua corrigantur in eo, à Torrigio vel non lecta, vel non obseruata; sequutus enim videtur lectionem Codicis S. Cæciliæ à me editam, non autem SS. Sixti & Dominici, vt ipse profitetur ijs verbis cap. 1. *Trouasi tutto ciò registrato in vn'antico manoscritto in pergameno, che si conserua nel venerabile Monastero de SS. Sisto, e Domenico in Roma posto nel luogo chiamato volgarmente Monte Bagnanapoli, il cui principio è tale.*

Incipit legenda de Imagine.

*Apud omnipotentem Dominum nunquam proculdubio fuit, nec erit vsque in finem dedignatio miserendi. Sed quod de salute humani generis ante mundi formationem diuinitùs ordinauit, nouissimis temporibus * misericorditer adimpleuit. Quod enim prophetatum est de vnigeniti Filij sui per Vates veridicos Aduentu, Natiuitate, Passione et Morte, Resurrectione quoque & Ascensione in Cælos, necnō de promissione S. Spiritus ad Apostolorum corda firmanda, perfectum sine dubio, completumq. certissimè constat. Cuncta enim secutura diuinitùs præsciens, ante secula decreuit, qualiter secula disponantur, & ideò quemadmodum statutū fuit, vt generi humano, quod tenebatur sub iugo dæmoniacæ dominationis, proueniret adiutoriū, quod liberaret illud à seruitute diabolica, ita nimirùm Sanguine Christi peractum est. Constat enim, Deum Patrem omnipotentem, qui credendus est sine initio, & sine fine, quique omnia tenens à nullo te-*

Lectiones ex codice sanctæ Cæciliæ à me edit. quas sequitur Torrigius

* misericordiam.

netur; omniaque gubernans à nemine gubernatur Filium suum, hoc est Verbum suum conceptum de Spiritu Sancto, & natum ex Maria Virgine misisse in terram: Vnde prædicator egregius, Paulus videlicet Apostolus, ait, Misit * *Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Natus ergo Dominus Christus & ablactatus est, & adultus; temptatus quoque, passus, mortuus & sepultus, tertia die resurrexit. Quæ omnia propter nos nimirùm, & propter nostram salutem sustinuit; & peccata nostra, sicut Isaias prædixerat, ipse portauit.*

* Dominus.

Igitur post Resurrectionem suam per quadraginta dies cùm proprijs conuersatus est discipulis, quibus præcepit ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris: & inter alia dixit eis, Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet; dum assumptus fuero, mittam eum ad vos. Quod impletum esse quis fidelium abnuat, cum in Actibus Apostolorum * *veraciter astruatur, videntibus Apostolis, & pluribus testibus, Dominus ascendit in Cælos. Tunc Apostoli reuersi sunt Hierosolymam à Monte, qui vocatur Oliueti. Et post pauca. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu, & fratribus* * *eius. Cùmque ergo Beatissima Dei Genitrix almifica conuersatione moraretur cum Apostolis, essetq; non solum intima, sed etiam exteriori pulchritudine admodùm gloriosa, cælitus.* * : . . . *inter se Beatissimi statuerunt Apostoli, vt ad memoriam posterorum depingeretur admirabilis vultus illius,* QVI DVM PER MANVS LVCAE EVANGELISTAE, NEC DVM ADHIBITIS COLORIBVS, SED DESIGNATVS TANTVMMODO ESSET, SVBITO REPERTA EST YMAGO *illius* * *admirabili decore præfulgens, vtpote non operibus manuum carnalium,* SED DEI OMNIPO-

* veracitatem.

* suis.

* moniti

* admirabilis.

*POTENTIS INEFFABILI VIRTVTE DEPICTA. Quod videntes Apostoli, * spirituali exultauerunt tripudio, debitàsque laudes cuncti Saluatori Deo humiliter reddiderunt. Post acceptionem verò Spiritus Sancti, dum dissseminarentur Apostoli toto Orbe terrarum, Venerabilis & gloriosissima Virgo in domo Ioãnis Apostoli & Euangelistæ sedit per annos nouem; sicq; ad Aetherea comitatu nimirùm, vt credendum est, Archangelico sublevata est.* * exultauerũt spirituali tripudio.

*Post aliquod autem tempus eadẽ Venerabilissima Ymago, non absque diuino * . . . . nutu in hanc Romanam Ciuitatem, digna proculdubio reuerentia, per quendam virum Deo plenum * adducta est.* *vt creditur. *abducta

*Eodem autem tempore degebant in hac Ciuitate quidam tres Viri, non solùm carne, sed & mente germani, quorum nomina erant, TEMPVLVS, Seruulus, & Ceruulus, qui à Constantinopolitana ex * . . . antes Vrbe hic manebant, in loco videlicet, qui tunc temporis vocabatur SANCTAE AGATHES IN TVRRI. Omnipotens itàque Deus, qui gloriam suorum nequaquam patitur celari Sanctorum, præcipuèque illius Virginis, quæ lumen edidit, quod cunctos irradiat Sanctos, per visum apparere dignatus est vni eorum, videlicet Tempulo, vita mirifica conuersanti, eùmque monuit, inquiens, Ymaginem celeberrimæ, vnicæque Virginis Mariæ ab illo viro, qui eam Romanis induxit mœnibus, quocunque modo potueris, acquirere satage, illámque in Ecclesia, quæ tuo adiacet hospitio, reuerentissimè colloca. Per illam siquidem diuinitas mea & tibi solaminis gratiam, & Romanis, qui huic loco deuotè famulati sunt, non modica largietur miracula. Expergefactus itaque vir ille, quem Deus sua visitatione dignum effecerat, iuxta mandatum, quod cælitùs acceperat, diù quæsitam MERVIT YCONAM* * exulantes.

* venerabilissimam. *AcQVIRERE, quam profectò * venerabillimam studuit in hac Ecclesia venerabiliter collocare.*

*Ecclesia *Quæ scilicet* Aula, Omnipotentis Dei gratia, cum à priscis eatenus S. AGATHES * nomine titularetur, ab eo tempore crebrescentibus miraculis, quæ per sæpè nominatam Ymaginem Dominus operari dignatus est, SANCTAE MARIAE competenter accepit vocabulum. Illi sanè tres germani, quorum priùs mentionem fecimus, eò deuctiùs in eodem loco vsque ad finem exitus sui habitauerunt, quò virtutes inibi cælitùs fieri frequentissimè cognouerunt.*

Ver. nomine, desideratur in dicto cod.

*dixerim ex diuino; *Verùm quia ex * diuino, vt ita dixerim, medicamine solent inuidorum corda tabescere, quidam clerici nefandæ stimulis æmulationis incitati à Pontifice Sergio venerabili, qui tunc * temporis Romanæ præerat Ecclesiæ, obtinuerunt, vt tam ingens virtutum thesaurus Lateranensi collocaretur Palatio; quandam enim fingentes verisimilitudinem aiebant; oportet vtique rem maximam loco maximo collocari. Quod tamen dicentes, vt postmodum rei euentus insinuauit, nequaquam honori deifico prouidebant, sed suæ nequiter auaritiæ consulebant. Omnipotens autem *Dominus, qui noluit hunc locum eiusmodi fraudari patrocinio, tale tantùmque dignatus est ad illius * honorem patrare miraculum, vt quamdiù volubilis huius mundi rota voluitur, hic Sacratissimus locus, apud quem constat eandem cælitùs prouenisse virtutem, honori quàm maximo habeatur, quemadmodum in sequentibus * conabimur declarare.*

*temporibus.

* Deus.

Ver. ad illius honorē. desiderātur in dicto Cod.

*conabitur.

*Igitur, vt præfatum est, dum prænominati clerici * subripientes Apostolico Papæ cum numerosa hominum aduenissent frequentia, sacratissimàmque Ymaginem, ancillis Dei, quæ hic castissimè, ac regulariter *conuersabantur, singultu ma-*

* subrepentes.

* cōseruabantur.

maximo renitentibus abstulissent, venerant ad locum, qui dicitur, Spleni, vbi terroriferis coruscationibus, ingentibusq. tonitruis diuinitùs consternati mouere amplius gressus nullatenùs præsumpserunt. Quo audito supranominatus Pontifex non minimo terrore concussus est, atque locum illum reuerenter adiens, vbi MANIBVS, vt credimus, ANGELICIS DEPICTA YMAGO detinebatur, Omnipotenti Domino aliquantisper deuotissimè supplicauit, ac deindè surgẽs ab oratione per semetipsum eam vsque ad Lateranense Palatium baiulauit, atque iuxta Domini, & Saluatoris nostri reuerendam Yconam reuerentissimè collocauit.

Verùm nunquid humana valet industria contra ineffabilis diuinitatis præfixã, incommutabilèmque sententiam? Sequenti denique nocte stupendo, atque incomprehensibili miraculo ad eundem locum diuinitùs est reducta, vndè præcedenti die fuerat, non sine magno ancillarum Dei mærore, violenter potiùs, quàm religiosè abstracta.

Quam nimirum stupendam virtutem iam superiùs nominatus Præsul comperiens, ad hanc Sacrosanctam Ecclesiam deuotus, ac diuino timore concussus aduenit. Cùmque diligenter inquireret ab ancillis Dei, quæ hic degebant, qua hora noctis vidissent eam ad locum pristinum reuocatam, Abbatissa earum, quæ magnæ proculdubio grauitatis, ac sanctitatis erat, ingenti præmisso fletu, ad eiusdem Apostolici vestigia corruit, dicens: Media ferè nocte dum nimis angustiarer ob vnicæ Dominæ meæ ablatã figuram, mæroribus, atque pro peccatis meis Omnipotentem Dominum erectis brachijs obsecrarem, subitò illam intuita sum, per fenestram, vt aliquod volatile animal, ingredientem, atque in loco, vbi ecce, auctore Deo, habetur, semetipsam strenuè collocantem.*

* super.

Pontifex igitur vnà cum ſuis profectò ſapientiſſimis Cōſiliarijs alto mentis acumine tàm mirum aſpiciens miraculum, ac reminiſcens Abacuch, quem corporea mole grauatum conſtat, angelico miniſterio à Iudæa in Chaldæam ſubitò fuiſſe delatum, ſemetipſum in conſpectu eorum, qui aderant, culpabilem reddidit, atque in eodem loco Miſſæ ſolemnia celebrauit.

Ver. omnipotentis Dei, non ſunt in dicto cod.

Præterea dona plurima iam dictæ domui * *omnipotentis Dei liberaliter tribuit, atque pro concinnandis luminarijs eiuſdem Eccleſiæ ſufficiens oleū conſtituit venerandæ Ymagini omni tempore per miniſtros Lateranenſis Palatij miniſtrari. Ad laudem Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuit, & gloriatur Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.*

* ſeculorū ſecula.

Hactenus M.S. Codex Monaſterij SS. Sixti & Dominici.

Hac ſtante narratione, primò exiſtimabam, procul dubio conſtare in §. *Poſt aliquod*. per quemdam virum Deo plenum in Vrbem adductam fuiſſe Imaginem, Secundò in §. *eodem tempore.* probari illius exiſtentiam penès Tēpulum in eccleſia S. Agathæ vſque a d finem exitus ſui cenſebam. Tum, cum author narrationis, omiſſa ſucceſſione cuſtodum Imaginis, narrare cæperit in §. *Verum quia*. miraculum, quorundam clericorum æmulatione, patratum Sergij Pontificis tempore, qui vixit circa annum Chriſti 687. & ſubdiderit in ſequenti §. *Igitur, vt præfatum eſt*. ancillas Dei hìc caſtiſſimè ac regulariter conuerſari, credidi, moniales poſt obitum Tempuli fuiſſe cuſtoditrices Imaginis, etiam ante Sergij tempora. Hac nihilominus proba

tione

tione non obstante, cautius sum arbitratus firmare Imaginis sedem apud moniales, Sergij Primi temporibus, enunciatam in dicto §. *Igitur, vt præfatum*. Quartò ab existentia monasterij Tempuli penès Sanctę Agathæ oratoriũ tempore Leon.III. vt in Anastas. mihi videbar inferre potuisse, custodiam Imaginis penès dictas moniales ad dicti Leonis tempora, ad annum videlicet Christi 800. Quintò Historia à Paulo Vicentino monialium Confessario edita, in cuius argumentum inscriptio quoque in noui ad Balnea Pauli templi pariete fixa fuit, firmissima iecit meæ conclusionis fundamenta, dictas nempe SS. Sixti & Dominici moniales absque controuersia successisse in iuribus & scripturis monasterij SS. Agathæ & Mariæ in Turri, ac Tempuli, necnon in dominio sacræ Imaginis vsque in hodiernum diem.

Hæc omnia firmaui quoque àuctoritate probatissimorum scriptorum, videlicet anonymi Bibliothecæ Vaticanæ cap. 8. Theodorici de Appoldia, S.Antonini, Ferdinandi de Castiglio, Thomæque Maluendæ (omissa inferiorum classe dictos sequentium) Ideòq; titulum opusculo meo præsignaui, *Imago B. Mariæ Virginis, quæ apud venerandas Sanctorum Sixti, & Dominici moniales à mille ferè annis maximo cultu asseruatur*, totidẽ enim à Sergio Primo ad Sanctiss. Vrbani VIII. Pontificatus ann. XIX. ferè intercedunt.

His suppositis & monialium firma traditione, & religiosissima Imaginis per secula veneratione, ratus, præfatorum authorum testimonio, constare de existentia antiquissimi monasterij cum templo S. Mariæ in Turri præfatarum monialium in regione Transtiberina,

rina, animum appuli, ad illud non mathematica demonstratione, sed eo, quo in re antiquissima licet, modo reperiendum, vt curiositati potiùs, quàm Imaginis illustrationi consulerem.

Quare, præsupposita sacri loci existentia trans Tiberim, qui priùs appellabatur S. Agathæ in Turri, & postea Sanctę Marię, templum nostro æuo appellatum Sanctæ Mariæ de Turri, existens ad ripam Tiberis, de quo Torrigius in Cryptis p. 517. & in Historia Imaginis cap. 13. vers. *la quarta finalmente*. monialium, de quibus agitur, monasterio, & ecclesiæ congruere non videbatur; nec locus talis, qualis describitur à Theodorico de Appoldia relato à Maluenda ad ann. 1217. cap. 16. *Erat tum in Vrbe insigne quoddam monasterium Sanctimonialium*: tum, quia existentia adeò Tiberi proxima semper sub silentio est apud omnes; tum quia non constat, priùs denominatione S. Agathæ dictum fuisse. His addendum, quòd titulus *S. Mariæ de Turri* adhuc parieti ecclesiæ fixus supra Tiberis ripam est dissonus ab alia, quæ dicitur *in Turri*: & quod maius est, templum hoc ad Tiberim denominationem sumit à turribus à Leone Quarto ædificatis longè post Sergij Primi tempora. Nec eadem videtur cum illa appellata ad Colles iacentes; nam nullæ adduci possunt probationes inferentes, hoc templum fuisse appellatum *in Turri*, vt inquit Torrigius in Cryptis Vaticanis pag. 517. *Santa Agata ad Colles iacentes in Turri vicina a S. Cecilia in Trasteuere, hora S. Maria in Turri à Ripa*. quæ verba, post illud *iacentes* gratis adduntur à Torrigio: & Anastasius, qui huius loci meminit, hæc profert absque illa additione, *Pro quorum Sanctorum*

Paciucl. in Thes.

In Pascha li I.

ctorum honore, videlicet, & opitulatione construxit monasterium in honorem Virginum, seu Martyrum Agathæ, & Cæciliæ iuxta ipsius ecclesiam in loco, qui dicitur, Colles iacentes, *in quo & monachorum Deo seruientium congregationem pro quotidianis laudibus in præfato titulo S. Cæciliæ die noctuque, &c.* Alios codices refert Antonius Bosius in editione literarum Paschalis Primi de inuentione & repositione corporum SS. Cæciliæ, & Sociorum absque additione verbi *in Turri*. In Paschali I.

Præterea dedicatio & constructio, de qua loquitur Anastasius, non est ecclesiæ, sed monasterij iuxta ecclesiam S. Cæciliæ multo ante fundatam. Nec verba illa *iuxta ipsius* referenda sunt ad *Agathæ*, sed ad vicinius relatiuo verbum, *Cæciliæ*, & hanc relationem probant alia subsequentia verba *in præfato titulo sanctæ Cæciliæ:* Non est hinc igitur inferenda noua constructio ecclesiæ S. Agathæ. Tandem, vtcunque sit, cum ante Paschalis Primi Pontificatum reperiatur mentio monasterij Tempuli in Leone Tertio, & ecclesiæ Sanctæ Agathæ in Turri in Sergio Primo, certè non est quærenda alia ad Colles iacentes posteriori tempore ædificata.

Postremò ex Bibliothecario in Paulo Primo dicente, *Fecit autem in atrio ante Turrem S. Mariæ ad gradus, quod vocatur Paradisus, oraculum ante Saluatorem in honorem S. Dei Genitricis miro opere & decorauit magnificè*, deprehendi apertam mihi esse viam ad reperiendum situm ecclesiæ, quam quærebam; in hoc enim Anastasij loco fit mentio de S. Mariæ Ecclesia, & de Turri ad eam spectante, vt probatur ex illo genitiuo *S. Mariæ* dominium turris importante, vt notissimum est: Con-

currit

currit existentia loci trans Tiberim in Vaticano, & immemorabilis huius templi ædificatio, cuius author tempùsque probari non potest; licèt enim Anastasius ipse asserat, Paulum I. fecisse oraculum, inuerisimile est verbum illud *oraculum* importare hoc loci fabricam oratorij vel templi, cum non semper *oraculum* accipiatur pró templo, & hic absurda videatur huiusmodi interpretatio; quomodo namque templum S. Mariæ cum denominatione in Turri construi debebat ante Turrem & ante Saluatorem veteris ecclesiæ S. Mariæ? Analogicè igitur sumenda duxi Anastasij verba; præsertim quod diligentissimus vir Grimaldus fateatur, vidisse faciem ædis S. Mariæ depictam Imagine antiqua
pag. 30. Saluatoris, eàmque recognoscit Pauli Primi opus; tum subiungit *Ornabat autem faciem ipsius ædis S. Mariæ in Turri, habebàtque Saluatorem in rota stellata sedentem in sede gemmata, benedicentem pollice cum anulari coniuncto, & sinistra tenentem librum, in quo scriptum erat, Ego sum resurrectio, & vita; hinc inde tres angeli per latera venerabundi; infra, quatuor seniores hinc inde coronas offerentes, in quorum medio erat aer ignitus*. Ex quibus haud inuerisimile credidi, templum S. Mariæ à Paulo Primo, tàm mirificè Saluatoris imagine ornatum fuisse, vt populus eo vti tanquam oraculó deberet; non autem Saluatori ædificatum fuisse Oratorium, seu templum. Huius meæ opinionis conclusio non controuersa videtur à Grimaldo asserente, frontem ecclesiæ tantùm fabrefactam fuisse à Paulo; immò fortiùs stabilita, cum dicat in Leone Tertio agens de Canonicis Basilicæ Vaticanæ *Diaconia S. Mariæ in Atrio erat in capite scalarum veteris Basilicæ iuxta Turrem Campanariam*,

nariam, & vocabatur S. Maria in Turri, restituta ab Innocentio Secundo, vt notabat titulus in mensa Altaris incisus: & frons huius ædis ornata erat musiuo cum Saluatore, & Angelis, ac quattuor Senioribus coronas offerentibus à Paulo I. fabrefacta.

Probata existentia S. Mariæ, eiúsque denominatione in Turri, trans Tiberim in Vaticano, reliquum erat indagare veterem S. Agathæ denominationem in eodem loco, vt lectorem ad veritatem cognoscendam inducerem. Anastasius Bibliothecarius de quadam S. Agathæ ecclesia mentionem faciens in Symmaco *Hic fecit basilicam S. martyris Agathæ via Aurelia in fundo Lardario & à fundamento cum fonte construxit, vbi posuit arcus argenteos duos*, ansam præbuit, ni fallor, Torrigio, asserendi in editis Cryptis Vaticanis, hanc ecclesiam fuisse extra Vrbem & proximam Basilicæ, seu Cæmeterio S. Pancratij, quod Via etiam Aurelia constituitur: hæc sunt Torrigij verba pag. 515. in Cryptarum Vatic. par. 2. *Questa era vna Chiesa, e cemeterio vicino à S. Pancratio, la quale fu edificata da Papa Simmaco circa l'anno* 515. At ex Caroli Magni priuilegio, quod ipse ad suam opinionem tuendam producit, clarè mihi videtur probari, Lardarij fundum in eòque sitam S. Agathæ ecclesiam fuisse intra Leoninam Ciuitatem: priuilegij hæc sunt verba. *In perpetuum* (donamus) *vnam ecclesiam, quæ sita est in Ciuitate noua, quam D. Leo Papa ædificauit iuxta murum in prædio, quod dicitur Magelli, non longè à monte, qui vocatur Vaticano.* & infrà. *Et est ipsa ecclesia dedicata in honore venerabilis Saluatoris Domini nostri Iesu Christi.* & infrà. *Constituimus etiam in ipsa supradicta ecclesia in circuitu ipsius to-*

tum

tum prædium, vbi sita esse videtur, in integrum cum terminis, à primo latere, Porticu maiore pergente iuxta Vaticanum vsque ad S. Agathæ, quæ dicitur in Lardario, venientem ad murum Ciuitatis Leoninæ vsque in ipsa Ecclesia Sancti Saluatoris, videlicet, de ipsa municione quattuor turres; à secundo latere, monumentum, qui stat super sepulcrum Marci fratris Aurelij: a tertio latere, forma Traiana vsque in Porta Aurelia; & à quarto latere, descendente de prædicto monumento vsque in alueum fluminis locum, qui dicitur, Septem Ventus, in flumine, qui dicitur Tiberis pergentem per creptam rubeam ad murum ciuitatis, & à ipso loco per aquam venientem in iam prædicto portico maiore.

Ex hisce priuilegij verbis constat de existentia ecclesiæ S. Saluatoris à Carolo Magno constructæ in ciuitate noua, iuxta murum, & in prædio, qui dicebatur Magelli non longè à monte, qui vocatur Vaticanus. *Ista* (inquit Grimaldus de Canonicis Vatic. in Leone Tertio) *extat hodie iuxta portam equitum leuis armaturæ, olim Turrionis dictam, habens aditum in Palatio S. Officij Inquisitionis.* tum paullò infra subiungit. *Laurentio Puccio Florentino SS. Quattuor Cardinale Palatium ibi ædificante, quod postea in Sancti Officij fabricam conuersum est, ipsum Sancti Saluatoris templum negligi & diuinis carere cœpit.* Item prædium dicebatur Magelli siue Macelli propter Martyres in eo igni traditos in vsum nocturni luminis, ferisue laniatos, alijsque modis extinctos in hortis Neronianis, vt ait Tacitus lib. 15. qui (vt sequitur Grimaldus) ædes Cæsiorum, sanctæ Inquisitionis domum, longè latèque ad portam vsque Pertusij occupabant, propter quod prædium

dium creditur Campus Sanctus postea appellatum.

Igitur cum extra controuersiam sit locus ecclesiæ Sancti Saluatoris, videlicet in Palatio S. Inquisitionis; eiusque confinium primum latus sit Porticus maior, (quæ à Basilica Vaticana ad portam Aureliam prope Tiberim rectà per Burgum veterem ducebatur) & ab eadem pergendo iuxta montem Vaticanum vsque ad S. Agathæ in Lardario prope murum ciuitatis Leonianæ vsque in ipsa Ecclesia S. Saluatoris, tractu quattuor Turrium ipsius munitionis; necesse est vt constituatur ædes S. Agathæ paullò vltra gradus Basilicæ Vaticanæ, & in eo ferè loco, vbi est area ante Basilicæ Sacrarium, ita vt inter S. Agathæ & S. Saluatoris ecclesias sit tractus quattuor turrium muri Leoniani. Alia prædij confinia pergunt à dicta Saluatoris ecclesia iuxta montem S. Michaelis ad Tiberim vsque, inter dictum montem & porticum maiorem.

Nec officit, quod Anastasius dicat, huiusmodi Sanctæ Agathæ ecclesiam à Symmaco ædificatam, in via fuisse Aurelia: nam pro certis habitis Lardarij loco apud Ecclesiam S. Saluatoris in Vaticano, & Porta Aurelia, à qua viæ principium omnes Antiquarij ducunt, proxima Hadrianæ Arci, necesse est fateri, eandem viam à porta Aurelia per medium Burgum, vt vocant, ad portam Pertusam, vel Turrionis extra Vrbem Leoninam protractam fuisse: in eadèmque via intra vrbem, non autem apud S. Pancratium extra illam, vt vult Torrigius pag. 515. Crypt. Vatic. sitam fuisse S. Agatham in Lardario; sicuti etiam Sanctum Petrum eadem via sepultum fuisse Acta martyrum testantur.

For-

Fortius hæc nituntur illis Torrigij verbis loc. cit. pag. 516. *In vna bolla d'Innocentio Terzo, che si conserua nell' Archiuio di S. Spirito in Sassia, è chiamata Sancta Agatha in introitu Vrbis Romæ con tali parole, Innocentius &c. sub B. Petri & nostra protectione suscipimus &c. domum, quam habetis in Vrbe Roma iuxta S. Mariam trans Tiberim cum domo, quæ est in loco, qui dicitur sancta Agatha in introitu Vrbis Romæ cum omnibus pertinentijs suis &c. Dat. &c.* quæ verba *in introitu Vrbis* non videntur intelligenda de loco extra Vrbem apud S. Pancratium, sed apud S. Saluatorem ad S. Officij palatium.

Maiora huic nostræ conclusioni adduntur iura ab
l.c.p.516 eodem Torrigio dicente. *In vn priuilegio di Leone Nono dato l'anno 5. è chiamata Ecclesia S. Agathæ in colle Pino ad domum Lardatam.* Nam constito de Lardarij loco intra Vrbem apud ecclesias Sancti Saluatoris, & S. Agathæ, Collis, qui eminet Palatio Cæsiorum, & prædij loco, vbi dictæ reperiebantur ecclesiæ, Pinus appellandus videtur. Id eo magis verum censetur, quòd plurima Altarium cæmenta Cybeli, cui Pinus dicata non dubitatur, tam in ea Vaticani templi parte, quæ respicit Campi Sancti ecclesiam, quàm in dicti Palatij Cæsiorum fundamentis reperta nos docere videntur, Pinorum lucum fuisse hic, vbi Cybeles, & Atys colerentur. Horum Altarium inscriptiones plures leguntur in dicto Palatio; aliquas in fornacariorum regione dispersas vidi; non paucas impressit Gruterus, duas Dempsterus in notis ad Rosin. lib. 2. cap. 4. in fine, vbi de Taurobolio & Criobolio: nonnullas item exscripsit Iacobus Grimaldus, quæ in gratiam eruditorum expedit vt edantur.

M. D.

Prima.

M. D. M. I.

DD. NN. CONSTANTIO. ET. MAXIMIANO. NOBB.

CAES. V. CONSS. XVIII. K. MAI.

IVLIVS. ITALICVS. V.C. XV. VIR. S. F.

Taurobolium percepi feliciter.

Secunda.

M. D. M. I.

ET. ATTIDI. MENO. TYRANNO.

CONSERVATORIBVS. SVIS.

COELIVS. HILARIANVS. V.C. DVODECIM. BYR.

VRBIS. ROMAE. P. S.

ET. HIEROCERYX. I. M. S. D. L. S. D. HECATAE. An.Chr. 377.

D. N. Gratiano Aug. & Merobaude Conss.

III. idus Maias.

Tertia.

ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ

ΕΙC ΔΕΚΑΠΕΝΤΕ ΑΝΔΡΩΝ ΦΟΙΒΟΥ CΤΕ

ΦΑΝΗΦΟΡΟC ΙΡΕVC

ΚΡΗCΚΗΝC ΗΓΑΘΕΟCΤΕ ΛΕΟΝΤΙΟC ΕΝCΟΦΟΙ ΑΝΔΡΕC

ΟC ΜΕΝ ΑΠΑΝΤΟΛΙΗC ΟC ΔΑΡ ΑΦΕCΠΕΡΙΗC

ΟΡΓΙΑ CΥΝΡΕΞΑΝΤΕ ΘΕΑ ΠΑΜΜΗΤΟΡΙ ΡΕΙΗ

ΚΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΗC ΚΑΙ ΤΑVΡΟΒΟΛΟΙΟ ΦΕΡΙCΤΗC

*Γ ΜΑCΙ ΜΥCΠΠΟΛΟΙC ΒΩΜΟΝ ΥΠΕΡΘΕΘΕCΑΝ *ΑΙ

D. Pantaleo Ligaridius Chius Philos. & S. Theol. Doctor, & in Collegio Græco Rhetoricæ, & linguæ græcæ professor, in latinum transtulit, vt sequitur.

Matri Deum
XV. Vir Phœbi coronatus Sacerdos Crescens
diuinusq. Leontius sapientes viri.
Alter quidem ab Oriente alter verò ab Occidente
ritus simul peragentes. Deæ omniparenti Cybalæ
Criobolij victimæ & Taurobolij optimæ
sanguinibus sacris Aram erexere.

Quarta.

ANTONIN. . . . . (hìc lapis est fractus)
V. C. PONTIF. ET. DECEMVIR. SA. F.
Taurobolio confecto 3. Kal. Ma.
Fl. Anicio & Nicriniano Con. Aram feliciter consecrauit.

Quinta.

DIIS. OMNIPOTENTIBVS.
LVCIVS. RAGONIVS. VENVSTVS. V. C.
Augur Publicus P. R. Q. Pontifex, Vestalis maior,
percepto Taurobolio, Crioboliog. x. Cal. Iunij.
A. 390. *D. N. Valentiniano Aug. IV. & Neoterio Consf.*
Aram consecraui.

Sexta.

M. D. M. I.
ET. ATTIDI. SANCTO. MENO. TYRANNO.
Q. Clodius Flauianus V. C. Pont. Maior. xv. Vir.
S. F. septem vir epulonum
Pontifex Dei Solis
Taurobolio, Crioboliog. percepto Aram dicauit non. April.
A. 383. *FF. LL. Merobaude, & Saturnino Consf.*

Septi-

Septima.

. . . .

. . . . *V. C. F.*

Sacerdus Maxima M.D.M.I.Taurobolio Criobolioq.repetito Dijs omnipotentibus M.D.& Atti Aram dicauit nonis April. Fl. Merobaude V.C. iterum & Fl. Saturnino V.C.Conss. A. eod.

Octaua.

M. D. M. I.

SVMMAE. PARENTI. HERMAE. ET. ATTIDI. MENO. TYRANNO. INVICTO.

Clodius Hermogenianus Cæsarius V. C. Proconſ. Aphricæ, Præfec. Vrbis Romæ XV. vir S. F.

Taurobolio, Criobolioq. perfecto 14. Kal. Aug. Dijs animæ ſuæ mentiſq. cuſtodibus Aram dicauit.

D.N. Gratiano Aug. ter.& ... Aequitio Conſs. A. 374.

Ex dictis inſcriptionibus mihi videor vocis Lardarii explicationem odorari, omnibus, quod ſciam, ignotam, quam erudito lectori exponam accuratius examinandam: Nam fuit forſan hìc Pinetum Deorum matri dicatum,iuxta illud Ouid.10.Metamorph. pinus *Grata Deum matri, ſiquidem Cybeleius Atys Exuit hac hominem, truncòque induruit illo.* In quo dicabantur aræ inferioribns Dijs, vel hominũ animabus, quæ Lares ex Feſto putabantur: Aut ex lege 12. Tabularum, aut alio Romanorum iure,de quo Aymarus Riuallius lib. 2. hiſtor. ciuil. pag.42. lucus & Larum ſedes hìc conſtituta fuit,vt rebus diuinis homines operam darent: Aut in huiuſmodi luco manes illorum hominum habitare putabantur, qui ex Platonis opinione poſt fata Lares efficerentur; vnde Seruius

ait, *In Lucis habitare manes piorum, qui Lares viales sunt* : Aut fuit hìc Vicus Larum ruralium, quem P. Victor recenset in xiiij. regione Transtiberina, in quo superna vel inferna numina deprecarentur, locus quidem Lararium dici potuit, &, corrupto vocabulo, Lardarium.

Tandem Torrigij opinio circa hanc D. Agathæ ecclesiam, scilicet, *Era cemeterio vicino à S. Pancratio edificato da Papa Simmaco circa l'anno del Signore* 512. *di cui scriue Anastasio. Hic fecit basilicam S. Martyris Agathæ via Aurelia, in fundo Lardario, & à fundamento cum fonte construxit*, penitùs corruit, eo quod Anastasius, non loquitur de cœmeterio, nec de Sancti Pancratij vicinitate.

Si verò replicetur, eundem Anastasium loqui de cœmeterio B. Agathæ in Leone IV. qui vixit Christi anno 847. *Ipse verò à Deo protectus & venerabilis Pontifex propter retributionem animæ suæ fecit in cœmeterio B. Agathæ martyris, quod ponitur foris portam B. Pancratij mart.* respondebo, hoc cœmeterium non esse in fundo Lardario, vbi est basilica: vel esse cœmeterium alicuius Sancti constitutum in prædio spectante ad basilicam S. Agathæ à Symmacho, vel ab alijs fundatam; cum constet, S. Agatham non instituisse cœmeterium, vt Lucina, Priscilla, Cyriaca, & aliæ Romanæ fœminæ in proprijs prædijs pro martyrum sepultura: nec S. Agathæ corpus in Vrbis prædio fuisse sepultum, prædiùmque idcircò fuisse nuncupatum cœmeterium S. Agathæ, vt SS. Abdon & Sennen, Pontiani, & aliorum, quorum frequens mentio habetur in Anastasio.

Nec

Nec insistendum in Petro Mallio eadem ferè verba Anastasij repetente, dum agit de translatione corporum SS. Processi, & Martiniani. *Paschalis Primus detulit corpora SS. Processi & Martiniani martt. de cæmeterio S. Agathæ in Ecclesiam B. Petri*. Nam Mallius videtur in dedicatoria ad Alexandrum Tertium hausisse à libro Pontificum, *Anastasius*, inscripto, quod breui compendio complexus fuit in texenda historia Basilicæ Vaticanæ; eaque præcipue, quæ de translatione dictorum corporum ex cœmeterio S. Agathæ refert, & nihilominus nihil habetur de Agathæ cœmeterio in Anastasio, *Simili modo in eadem Sacratissima Beati Petri Apostoli ecclesia iuxta ingressum, qui ducit ad Beatam Petronillam, oratorium summæ magnitudinis, atque pulchritudinis decoranter construxit; & super columnas in quadrifico camerantes musiuo, pulchrisque metallis decorauit; in quo & corpora beatissimorum martyrum Processi, & Martiniani ad honorem, & gloriam omnipotentis Dei memorialiter honorificeq. recondidit &c.* Idemq. in Gregorio III. *Item tectum Basilicæ Sanctorum Processi & Martiniani à nouo construxit subposita pila fabricis fortissimis post eorumdem Sanctorum veneranda corpora ad firmamentum murorum Basilicæ Sanctæ*. Hac Basilica diruta, non alia ædificata fuit, sed corpora Sanctorum translata in Vaticanum, Baron. ad Martyrol. diem 2. Iulij. *Erat olim Romæ in prædictorum Sanctorum Martyrum honorem erecta Basilica, in qua S. Gregorius Papa habuit homiliam 32. in euang. vbi & de miraculis ad eorum sepulcrum fieri consuetis meminit: diruta autem prædicta ecclesia, translata sunt eorum corpora in Basilicam Vaticanam*.

Nec dicatur, ecclesiam Sanctæ Agathæ extitisse

vnà cum cœmeterio in fundo Cleandris, cuius meminit Leonis Quarti priuilegium, vt in Romæ Subterraneæ lib.2. cap. 12. his verbis *Concedimus etiam fundum vnum in integro, quod vocatur Cleandris; cum ecclesia Sanctæ mart. Agathæ posita in colle Pinu*; nam, quidquid sit de cæmeterio, collem Pinum fuisse in Vaticano, ibique extitisse ecclesiam S. Agathæ supra demonstraui: fundum autem Cleandris apud eandem existere non constat ex Leonis verbis: & concessio fundi cum ecclesia non includit, quòd ecclesia sit in fundo; sicuti quando dicitur Titius cum talibus Canonicis, non sequitur, quòd Titius sit canonicus cap. dilecto. extra de Præbend.

Cæterum ad maiorem illorum, quæ dixi, intelligentiam, aduertendum est, probari certo certius ex martyrum Actis, Sanctos Processum & Martinianum consummasse martyrium Via Aurelia, iuxta formam Aquæductus, & à Lucina in prædio suo in Arenario iuxta locum, vbi decollati fuerunt, sepultos fuisse: Item ex allegatis, ibi ædificatam fuisse ecclesiam eorum nomini dicatam, in qua, ex testimonio S. Gregorij Magni, Anastasij, Baronij, & aliorum, corpora illorum requiescebant, postea in Vaticanum translata: Fundum pariter, cuius Lucina erat domina, aliud nobis incognitum obtinuisse nomen probabile est & forsan Cleandris; ac aliquo donationis, vel emptiodis titulo ad D. Agathæ ecclesiam pertinuisse, quem postea Leo Quartus donauit, vel vniuit Basilicæ Vaticanæ vnà cum alijs, videlicet, *Ecclesiam S. Michaelis Scholæ Frisonorum, Sancti Saluatoris, & S. Zenonis in Ciuitate noua Leoniana: fundum Fasciolæ, fundum Casanilli,*

Casa-

Casapindulæ, Cucumelli foris portam B. Petri via Claudia: fundum Cleandris cum ecclesia S. Agathæ, casam Lardariam, fundum Adtalianum via Aurelia: relatis à Grimaldo in m.s. opere de Canonicis Vaticanis. Cœmeterij appellatio absque adiuncto, *S. Agathæ*, viguit, donec in eo condita fuerunt dicta sacra corpora; quibus translatis non est curandum de Anastasij verbis, quæ *sæpè obscura mendisque deprauata, & aliquando inter se inuicem discrepantia sunt*, vt obseruauit Baron. àd ann. 357. nu. 62. Sed potiùs sequendus Iacobus Grimaldus rerum Vaticanarum peritissimus, & Archiuista accuratissimus, qui refert translationem dictorum corporum non ex cœmeterio, sed ex prædio spectante ad ecclesiam S. Agathæ à Leone Quarto, vnà cum ecclesia donato, hæc sunt Grimaldi verba. *Apparent hodie aliqua vestigia ecclesiæ SS. Processi, & Martiniani in dicto prædio S. Agathæ via Aurelia, vbi S. Gregorius homiliam 32. habuit*.



FLORAVANTIS


MARTINELLI

DILVCIDATIO OBSERVATIONVM Ad Historiam Imaginis B. Mariæ Virginis Monasterij SS. Sixti, & Dominici.



PRIMA OBSERVATIO.

De Templo Sanctæ Mariæ in Turri Vaticano.



Orrigius negat existentiam Sanctæ Mariæ in Turri apud S. Petrum cap. 13. & cap. 18. contra meam opinionem. Negatiuam probare intendit quinque obseruationibus.

Prima, Vaticanum non esse trans Tiberim, nec intra Vrbem; immò, vt Anastasius inquit, foris muros huius Ciuitatis Romanæ.

Secunda, S. Mariæ in Turri templum Vaticanum, cum esset Diaconia, incapax fuisse monialium curæ, eo quod *nelle Diaconie non vi stauano Monache*.

Tertia,

Tertia, Nullus Vaticani templi scriptor, veluti Maphæus Vegius, Onuphrius Panuinius, Tiberius Alpharanus, & Iacobus Grimaldus, fatetur, huiusmodi S. Mariæ templum fuisse vocatum S. Agathæ titulo.

Quarta, Imaginem, de qua agitur non potuisse transferri à S. Dominico, Honorij Tertij tempore, ab ecclesia S. Mariæ in Turri, cum hæc vnà cum Imagine incendio perierit quinquaginta ferè annis ante Sanctum Dominicum, opera Friderici I. Imperatoris.

Quinta, ex instrumẽto venditionis vineæ an. 1206. quod attuli, constare, vineam, quæ venditur, esse sitam ante monasterium Sanctæ Mariæ in Templulo infra Vrbem, & alibi quàm ante S. Petri Basilicam. Instrumenti verba hæc sunt. *Anno Dominicæ Incarnationis 1206. Anno verò nono Pontificatus D. Innocẽtij III. Papæ Indictione 10. mensis Nouembris die 26. Ego quidem D. Simon Clericus ecclesiæ S. Martinæ cum consensu, & voluntate D. Eugeniæ Abbatissæ S. Mariæ in Templulo, cuius est proprietas*.. & infrà. *concedo tibi Benincasæ Leonardi, tuisque hæredibus &c. vnam petiam vineæ &c. positam infrà Vrbem ante claustrum dicti Monasterij, via mediante, quæ est primum latus; à secundo tu tenes iure dicti monasterij; à tertio Gratianus Fraiapanus iure S. Thomæ de Formis, riuo mediante; à quarto hæredes Petruccij de Petro mediante aqua*, &c.

DILVCIDATIO I. OBSERVATIONIS.

PRimò argumento, seu obseruationi occurritur euidenti hac responsione. Vaticanum esse partem Ianiculi nemo ambigit; Ianiculum autem esse situm

vltra

vltra, Tiberim, respectu Vrbis, quæ est citra eundem, ad oculum patet; Vrbem constare 14. Regionibus, & in earum decimaquarta comprehendi Ianiculum, qui in Aureum & Vaticanum diuiditur, nos docet P. Victor, qui vixit tempore Valentiniani & Valentis circa annum Christi 364. Ille enim inquit, *Regio xiv. trans Tiberim continet Gaianum & Frigianum, Naumachiasum, & Vaticanum, Hortos Domities, Ianiculum, molinas &c.* ergo Vaticanus, qui est pars decimæquartæ regionis Vrbis, dici debet intra Vrbem; Vrbis autem vocabulo, in terminis nostris, propriè non significantur ædificia, fossa muròque munita; sed ciues ipsi, omnisque societas, boni alicuius gratia, vt Aristoteles primo politic. inquit, constituta: & in hunc sensum rectè Iurisperiti concludunt, appellatione Vrbis venire Suburbium. Propterea absurdum mihi videtur affirmare, Vaticanum esse extra Vrbem, in quo ab initio nascentis ecclesiæ vsque ad hæc nostra tempora frequentissimè, sepulcri Apostolici gratia, habitauerunt Christiani; summique Pontifices Conciliorum coadunatione Ciuitatem, vt ita dicam, condiderunt, quod perspicuè colligitur ex quarta epistola Siricij Papæ, qui sedit ann. Dom. 385. in qua ita scribens, *Cum in vnum plurimi fratres conuenissemus ad Sancti Apostoli Petri reliquias, per quē & apostolatus & episcopatus in Christo cæpit exordium &c.* concludit, *Datum Romæ in Concilio Episcoporum octuaginta sub die 8. idib. Ianuar.* Hinc frequens vsus dicendi, S. Petrū sepultum in Vrbe, licèt fo tis Vrbis muros nec ad includendum Vaticanum templum in Vrbe muro cinxit campū Vaticanum Leo IV. *Sed,* vt Anastasius inquit, *ne Sarracæni peiora committerēt,* nisi

nisi ecclesia B. Petri Apostoli muris vndique munita citius foret. Hinc auctor Narrationis à me notis illustratæ, inquit, *Eodem tempore degebant in hac Ciuitate quidam tres viri non solùm carne, sed & mente germani, quorum nomina erant Tempulus &c.* at paullò infra alia vtitur locutione, *Imaginem*, inquiens, *celeberrimæ vnicæq. Virginis Mariæ ab illo viro, qui eam romanis induxit mœnibus, quocunque modo potueris, acquirere satage*: illi enim inter ciues Vrbis trans Tiberim morabantur; hic in Vrbis mœnibus cincta.

Ad secundam respondetur; Persecutionum tempore Diaconissarum munus recensetur à Mombritio in Vita S. Hadriani his verbis. *Diaconissæ verò, vel etiam aliæ mulieres, quæ erant, nocte permanebant in carcere curantes vlcera Sanctorum: aliæ quidem curabant vulnera; aliæ autem suis stolis, quibus vestiebantur, extergebant putredinem vulnerum eorum: omnes verò diuiserunt sibi numerum Sanctorum ad ministrandum eis*. Antiquissimis item ecclesiæ temporibus receptas esse in partem sacrorum fœminas notissimum est, & probatur Clementis const. lib. 3. cap. 15. allata à Baron. ad ann. 34. num. 288. Hæ primò præerant foribus templi, in quod ingrediebantur mulieres, vnde S. Ignatius epist. ad Antiochenos, Diaconissas vocat custodes templorum: deinde tempore persecutionum cum ob pericula, vel suspiciones infidelium, ad mulieres mitti non posset Diaconus, mittebatur Diaconissa vt in dicta Clementis constitutione. Tertiò præerat Diaconissa baptismo mulierum, eásque nudabat: idem faciebat in earumdem extrema vnctione, vt Epiphan. hæres. 79. Quartò easdem in monasterio seruandas censuit Cō-

cilium

cilium Nicænum Alphonsi Pisani can. 74. Vt monasteria.relatum à Binio tom. 1. par. 1. p. 342. Postremò Diaconissarũ munia recẽset Torrig. in cryptis Vaticanis pag. 557. ibi, *E da notare, che S. Martina vien chiamata in vn antichissimo lettionario dell' Archiuio di S. Pietro, Diaconessa, che vuol dir ministra, & operatrice di opere buone, se bene alle volte significa quella monaca, che leggeua le lettioni in choro, ò la portinara di Chiesa, ò quella, che nettaua il fronte alle donne cresimate, come ne' Concilij, & antichi autori si legge.* Quæ igitur impossibilitas astruitur à Torrigio circa existẽtiam monialium apud Diaconiam S. Mariæ in Turri, & ad Balneum ad pauperes mulieres lauandas, eisdèmque eleemosynam dispensandam; præsertim quod huius monasterij Abbatissa vocabatur Diacona, vt ait Torrigius cap. 14?

In tertia non insistendum censeo, nam Vegius, Panuinius, Alpharanus, & Grimaldus exactam de rebus Vaticanis historiam non ediderunt: & sufficit, meam assertam opinionem ab illis controuersam non fuisse.

Quarta obseruatio, seu argumentum sic concipitur à Torrigio. *Oltre à ciò, come puol essere, che l'Imagine, di che hora parlamo, fosse stata portata da S. Domenico da questa S. Maria in Torre, che costoro fingono nel Vaticano, al Monastero di San Sisto nel tempo di Honorio Terzo, se detta Chiesa di Santa Maria insieme con vna Imagine della Vergine più di 50. anni auanti Honorio, era stata abbrugiata da Federico Primo Imperatore come scriue chi vi si trouò presente Ottone Morena Laudense, & il Card. Baronio all'anno 1167. nel quale occorse tal abbrugiamento? Se dunque non vi era l'Imagine, ne la Chiesa, hà dell'*

im-

impossibile, che da detta Chiesa si portasse l'Imagine à S. Sisto. legamus Morenæ verba, vt videamus, qua fide Torrigius hæc referat. *Teutonici verò cum se eos per vim capere non posse prospicerent, proximo die Sabbathi infra ecclesiam S. Mariæ Virg. quæ dicebatur de Laborario, & quæ sita est super scalam S. Petri ante atrium ipsius ecclesiæ, supponentes ignem, totam ipsam ecclesiam combusserunt, ex qua, cum arderet, prosiliit ignis in ecclesiam S. Petri. Ipsa verò ecclesia Beatissimæ Virginis tota est combusta & penitùs dissipata. Tunc etiam liquefacta est & combusta quædam mirabilis Imago, facta in muro ipsius ecclesiæ versus ecclesiam S. Petri, ex auro purissimo, atque splendidissimo decorata, cui similis in Italia nunquam fuerat visa: & alia, quæ facta erat ad imaginem Domini nostri Iesu Christi, ante quam stabat quædam alia pulcherrima imago facta ad imaginem S. Petri, quæ similiter liquefacta est penitùs, & combusta.* Hactenus Morena; ex quo clarè constat, non ecclesiā S. Mariæ in Turri, sed aliam de Laborario fuisse combustam; Nec Imaginem B. Mariæ Virginis, vt asserit Torrigius ex eo: etenim Morena de tribus Imaginibus loquitur, ijsque musiuis in pariete, non autem de tabella amouibili: Et quamuis Ecclesia Sāctæ Mariæ in Turri cōbusta legatur in actis Alex. III. recensitis à Baron. ad an. 1167. num. 2. non est idcirco inferenda monasterij, & imaginis combustio in eisdem non recensita. Acta hæc sunt. *Custodes verò Ecclesiæ* (S. Petri) *formidantes, ne tota fabrica incendio solueretur, post combustam Sanctæ Mariæ in Turri ecclesiam, cum æneis portis, & vicinis porticibus, Beati Petri Basilicam in manu, & potestate sæuientis Principis tradiderunt.* Igitur combusta ecclesia, non est dicen-

dum

dum, combuſtum fuiſſe monaſterium, & Imaginem, cum nemo hoc dicat: immò Codex Vaticanus, quo vtitur Torrigius in cap. 5. explicitè inquit, Imaginem remanſiſſe penès moniales, non in eccleſia; ibi, *Romani verò glorioſam illam Imaginem Dei Genitricis Mariæ, quæ apud moniales trans Tiberim manſerat &c.* Et quidem credendum eſt remanſiſſe monaſterium cum monialibus & Imagine, quia poſt dictum incendium Honorius III. in minoribus conſtitutus, & Cencius Cameratius vocatus, in ſuo de Cenſibus Rom. Eccleſiæ tractatu recenſet *Monaſterium Tempuli*, cui duo ſolidi dabantur: *Item eccleſiam S. Mariæ in Turri trans Tiberim*, cui ſex denar. & demùm *inter eccleſias ignotas, & ſine clericis* enumerat aliam *S. Mariæ in Turri*, ex quo docemur de exiſtentia monaſterij Tempuli ſine eccleſia: de eccleſia S. Mariæ in Turri ignota, quæ ſtante Teutonico incendio prænarrato perijt: & de alia S. Mariæ in Turri & de Turri appellata trans Tiberim, quæ cenſenda eſt ad ripam Tiberis non combuſta, hodieque exiſtente, quæque non poteſt eſſe monaſterij Tempuli, cum ipſe Cencius ad Pontificatum euectus dicat, illam non exiſtere in ijs Bullæ verbis, *Sanè cum eccleſia S. Mariæ in Tempore vſque adeo in ſpiritualibus eſſet collapſa, & in temporalibus diminuta, quod nequaquam ibi Abbatiſſa & moniales ipſius poſſent commodè remanere*. Præterea cum Oratorij S. Mariæ in Turri reliquiæ aliquot muſiuæ adhuc ſeruentur in cryptis Vaticanis, de quibus Torrigius in earum deſcriptionis cap. 1. lib. 2. non cenſendum eſt, totam perijſſe eccleſiam, vt ſonant Morenæ verba, ſed explicāda videntur ad ſenſum Bullæ Honorij III. Et ſimili

Refert. Torrig. c. 17.

vſus

vſus eſt locutione Baronius, agens de S. Andreæ in Exquilijs, *illa penitùs diruta perijt*, & nihilominus adhuc extant parietes muſiuo ornati, & integra abſis cum Imaginibus Sanctiſsimi Saluatoris, & Apoſtolorum muſiuis intra monaſterium S. Antonij.

Nec replicetur; ſi S. Mariæ in Turri Eccleſia erat ignota, vt ait Cencius Camerarius, ignotum etiam erit monaſterium Tempuli; nam reſpondetur, primò non probari monaſterium fuiſſe combuſtum cum eccleſia; ſecundo poteſt eſſe monaſterium abſque eccleſia, ſicuti ſunt Canonici ſine collegiata.

Poſtremò diuerſitatem eccleſiæ S. Mariæ in Turri ab alia de Laborario eo conijci poteſt, quòd Imago Saluatoris muſiua de Laborario dicitur combuſta à Morena citato; aliam verò de Turri ſeruari in Crypta Vaticana fatetur Torrigius pag. 112. par. 2. cap. 1. Ex quibus penitùs corruit quartum hoc argumẽtum.

Ad quintum reſpondetur; me magnopere mirari, Torrigium prorupiſſe in ea verba, *Aggiongeſi, che coſtoro arrecano vn publico inſtromento d'vn contratto del 1206. di vna vigna, venduta dall'Abbadeſſa di S. Maria in Tempulo, la qual vigna, dice l'inſtromento, eſſer poſta infra vrbem ante clauſtrum noſtri monaſterij &c. Hor chi dirà, che S. Maria in Turri nel Vaticano ſi chiamaſſe mai S. Maria in Tempulo? e che lì foſſe vna vigna in luogo tãto celebre, auguſto, e frequentato da tutte le parte del mondo*. Nam ego non protuli documentum illud ad probandum exiſtentiam vineæ in Vaticano, vel ad S. Sixtum, quod ex hoc probari non poteſt, ſed tantum ad firmandam monialium ſucceſſionem in iuribus antiquiſsimi monaſterij Tempuli, dum illius iura in illarum

rum manibus ad hæc tempora reperiantur.

Præterea nunquam mihi fuit animus exactam texendi historiam Imaginis, monasterii, & monialium; sed tantum è tenebris eruere & notis illustrare antiquissimam Imaginis Narrationem, vt fert opusculi editi titulus: Atqui indicata, sufficienti probatione, monasterij & imaginis existentia trans Tiberim, & inde earundem translatione ad S. Sixti, erat à mea intentione alienum, & Imaginis illustrationi parum cōferebat, iudicium proferre de alijs monasteriis vnitis ante vel post translationem, in quibus non seruaretur Imago: ideoq. ignoro qua de causa quæ ipse in me non admisi, arguat Torrigius.

Verùm (vt aliquid ex abundanti proferam) si concedenda est translatio monialium è Trāstiberino monasterio ad templum S. Sixti, industria S. Dominici post sui ordinis approbationem, quæ cadit ad annum 1216. & post aliqualem cum suis fratribus incolatum in dicto templo priùs sibi concesso, vt in id omnes cōueniunt; quomodo dicemus, moniales fuisse translatas anno 1206. Ordine Dominicano tunc non instituto, & ecclesia Patriarchæ Dominico non concessa? quicquid ad hoc effugiendum indagare conetur Torrigius de secunda Tempuli ecclesia & monasterio, cap. 15.

Nec refragantur verba illa instrumenti, *riuo mediante* quæ Torrigio videntur intelligenda de Riuo aquæ Marianæ; nam hoc non probatur; & riuus etiā seu forma Aquæ Sabbatinæ per prædium Magelli, in quo S. Agatham fuisse probaui, decurrebat in Atriū, & ad Balneum vaticanum, vt ex Caroli Magni priuile-

uilegio notat Torrigius in Cryptis pag. 518.

Quid est autem illud, quod aures religiosas perstringit à Torrigio prolatum cap. 13. pag. 34. *Ben sarebbe sciocco chi pensasse, che à quella chiesa* (di S. Pietro in Vatic.) *vi fosse stata alcuna vigna in luogo tanto celebre, augusto, e frequentato da tutte le parti del mondo.* Primò probatis hoc certè repugnat; prædium namq. ibi existebat, postea vineæ: secundò quid miramur de vinea, si tẽpore Leonis IX. erat apud vaticanum templum hortus? Audiamus Grimaldum referentem verba dicti Leonis. *Nec non confirmamus ecclesiam Sancti Benedicti positam ad murum ciuitatis Leoninæ cum caminatis & hortuo post se, & post caminatam & terras cum casis, & cum omnibus eorum pertinentijs, sicuti viæ excedunt, vna iuxta murum, & altera iuxta porticum vsque in meta, quæ vocatur memoria Romuli.* Tertiò non video quale damnum aut infamia irrogetur Basilicæ Vaticanæ à vineæ & hortorum vicinitate hodieque existentium iuxta murum ciuitatis, & portam Pertusam & prope eandem Basilicam: cum notissimum sit, non locum reddere templa vilia, sed ex dignitate templorum honorem addi loco; Sòlemq. subire latrinas nec tamen inquinari.

SECVNDA OBSERVATIO.

De Templo S. Mariæ ad Tiberis ripam trans Tiberim.

PRobare conatur Torrigius, ecclèsiam S. Mariæ in Turri olim, hodièque existere supra Tiberis

ripam trans Tiberim cap. 13. *La quarta finalmente è questa, che seguo, la quale approuo come verissima & indubitata, & è di quei che fondatamente asseriscono essere stata quella, che sino al giorno presente stà in Trasteuere, e ritenendo l'antico suo nome chiamasi S. Maria in Torre à Ripa, e se ne veggono anche adesso le antichissime vestigia dietro alla più moderna tribuna, e di fuori in quella parte del muro, che è volta verso il Teuere, si legge in lettere grãdi non così moderne, S. Maria de Turri*. De eadem hæc in Cryptis Vaticanis pag. 517. *S. Agata ad Colles iacentes in Turri vicina à S. Cecilia in Trasteuere, hora S. Maria in Turri à Ripa*.

DILVCIDATIO II. OBSERVATIONIS.

FAteor syncerè, me neminem inuenisse, nec inter allegatos auctores à Torrigio vllum inuenire, qui dicat, ecclesiã S. Mariæ de Turri supra Tiberis ripam esse illam, quæ dicebatur Tempuli, quæq. appellabatur in Turri, & ex qua S. Dominicus transtulit moniales cum Imagine ad S. Sixti monasterium: quòd si aliquem inuenirem, gloriosum mihi existimarem, ipsa vincente veritate, Torrigio cedere. Verùm Cencius Camerarius, Nicolaus Seniorilis, Franciscus del Sodo, Octauius Pancirolus, Taxa Decimarum Clementis Viij. & libri Sacræ visitationis Apostolicæ Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ Viij. quos Torrigius allegat, mentionem faciunt ecclesiæ S. Mariæ in Turri, non autem illam referunt ad antiquam Tempuli, de qua quærimus.

Ad illud, quod ipse asserit in Vaticanis Cryptis, nega-

negatiuè respondeo; nam Anastasius non dicit, existere in loco, qui dicitur ad Colles iacentes, ecclesiam S. Agathæ in Turri, sed Paschalem Papam ædificasse monasterium SS. Cæciliæ & Agathæ in dicto loco, illudq. adhuc extat in Titulo S. Cęciliæ; immò hinc colligitur, duo diuersaq. loca fuisse SS. Cæciliæ & Agathæ ad Colles iacentes, nec non S. Mariæ de Turri supra Tiberis ripam. Reliqua attigi supra pag. 10.

Ex quibus persistendum credo in euulgata à me opinione existentiæ huius sacri loci in parte dextera Vaticani templi, vbi antiquissima S. Agathæ ecclesia, Collis Pinus, & fundus Lardarius: eoq. magis, quia credo in æde S. Mariæ in Turri Vaticana plures alias extitisse Imagines per Vrbis templa distributas & pręcipuè celeberrimam illam Edessenam, de qua Codex Monasterij S. Cæciliæ sexcentorum ferè annorum hæc refert. *Augarus quidem Rex & ipse ciuitatis misit Legatos in Hierusalem ad Christum filium Dei dicentis: si fuero dignus tuæ prudentiæ me ipsum ostendere, iube qualiter credere debeam, vt seruus tuus fieri possim. Dominus autem noster Iesus Christus accipiens Sindonem, tergens faciem suam, in qua statim Imago ipsius Saluatoris apparuit & mittens ipsam Sindonem cum figura Imaginis ad Augarum. Legati verò ipsius Regis, cùm appropinquassent palatio ipsius, abscõderunt illam syndonem subtus tegulam, in qua statim similis Imago expressa apparuit. Venientes autem præfati legati ante præsentiam Regis, interpellauit eos, quod signum pro fidei suæ salute à Domino Iesu Christo ei deferrent; Ipsi autem abeuntes à conspectu ipsius Regis venerunt ad locum, vbi ipsa Sindon abscondita erat, inueneruntq. ipsam tegulam cum Imagine figurata, & ad-*

duxerunt ipsam Sindonem in præsentiam ipsius Regis, quoque & tegulam: qui cum gaudio ipsam Imaginem amplexus credidit in Dominum nostrum Iesum Christum. Ipsa quidem Sindon ad Romam peruenit, & vsque in hodiernum diem ibidem esse videtur, quæ posita est modò in Basilica B. Petri Aposto i ad locum, & oratorium, qui appellatur sanctæ Dei Genitricis semperq. Virginis Mariæ: sed & ipsa tegula in prædicta Ciuitate remansit & honorabiliter vsque in præsens illuc veneratur. Hæc addidisse placuit, vt Augustinus Calcagninus, qui contra Edessenam Imaginem Romæ asseruatam apud Moniales S. Siluestri de Capite librũ edidit Genuæ anno 1639. reperiat custodes Imaginis ab an. 1035. vsq. ad 1341. (quo, credit, Imaginem donatam fuisse Leonardo Montaldo Genuensi) de quo queritur lib. 2. p. 78. ijs verbis. *Da gl'anni poi di questo Imperatore* (Michele Paflagone) *fino al Regno di Giouanni Paleologo detto anche Caloianni, perseuerò in quella Citta il S. Sudario; e tutto che gl'historici di quei secoli non faccino più alcuna mentione, ne cosa particolare raccontino di esso, si deue assolutamente credere, che vi fosse tenuto continuamente in pregio e veneratione.* Idemq. Calcagninus certior factus de loco, in quo Romæ asseruata fuit Imago tribus seculis, quibus historici rerum Constantinopolitanarum silent, aduersari cesset traditioni, probationibus, & argumentis per eruditum religiosumq. virum Ioannem Giacchettum adductis in Iconologia Saluatoris anno 1628. Romæ edita.

TER-

TERTIA OBSERVATIO.

De loco, qui in Vaticano dicitur Paradisus.

TOrrigius in suæ historiæ cap.18. fatetur, Atrium Vaticanum, non autem ædem S. Mariæ in Turri sitam in eo, vocari Paradisum ab Anastasio. *Il sopranominato autore, non ponderando bene le parole di Anastasio da lui addotte, equiuocò à gran maniera con dire, che la Chiesa di S. Agata in Torre vicina à S. Pietro era chiamata, Paradiso; non accorgendosi, che l'atrio ò Cortile situato auanti la Torre di S. Maria presso alle scale era per vaghezza de' marmi, pitture, mosaici, & altri ornamenti detto il Paradiso, e non la Chiesa di S. Maria: Vdiamo Anastasio, ehe egli apporta, benche nel mio testo non vi siano l'aggionte e prese, come egli dice, da vna varia lettione di Giacomo Grimaldi. Fecit autem (Paulus I.) in atrio ante Turrem S. Mariæ ad gradus, quod (non dice, Quæ) vocatur Paradisus, oraculum ante Saluatorem in honorem S. Dei Genitricis, miro opere, & decorauit magnificè.*

DILVCIDATIO III. OBSERVATIONIS.

PRimò firmanda est varietas lectionis Anastasiani textus, à me relati ex Grimaldo, cuius testimonium licèt sufficiens esset, ad docendum nihilominus Torrigium, qui illam in dubium reuocare videtur, maiori indiget probatione. Ioannes Albinus typographus Moguntinus edidit Anastasij Bibliothecarij

opus an. 1602. eiusq. aliquot exemplaria publicata fuerunt, quando allatus fuit Moguntiam geminus codex ms. Anastasij suppeditatus à Marquardo Frehero: vterque peruetustus; minor autem melioris notæ. Hi cum exemplari iam typis excuso collati, in pluribus partim lucem partim incrementum afferentibus, variabant. Variationes idem impressor euulgauit decem paginis, quæ adiunguntur aliquibus Anastasij exẽplaribus, & in aliquibus desiderantur. Grimaldus non fatetur ab impressis sũpsisse variam lectionẽ, seu potiùs additionem à me relatam; & certum est ex impressis, quòd hęc lectio excerpta fuit à codice optimæ notæ, vt dicitur in impressoris præfatiuncula.

Descendo hinc ad dilucidationem huius obseruationis: & primò, licèt dixerim, ædem S. Mariæ vocari Paradisum, non idcirco negaui atrium quoque paradisi nomine fuisse appellatum. Secundò nunquam somniaui mutare prouocabulum, Quod, in, Quæ, vt hoc referretur ad ædem aut ad atrium: sed firmiter credidi illud, Quod, referri posse ad sequentia, ita vt Anastasianorum verborum hic sit ordo. *Fecit autem in atrio ante turrem S. Mariæ ad gradus oraculum ante Saluatorem in honorem S. Dei Genitricis miro opere & decorauit magnificè, quod vocatur Paradisus*. Licet enim prouocabulum, Quod, vt plurimum referri soleat ad ea, quæ antecedunt, interdum tamen referri ad ea, quæ sequuntur, notissimum est.

His circumscriptis, si retulissem ecclesiastici scriptoris verbum, Quod, ad Sanctæ Mariæ, cur vitio tribuendum erat, si subintelligi poterat verbum, templum? aut si *in commentarijs sacrorum Pontificalium crebro*

bro lectum aiunt, (teste Pierio Valeriano in Hierogl. lib.10.pag.76. à tergo) *hic ouis, & hæc agnus ac porcus; quæ, inquit Festus, non vt vitia, sed vt antiquam consuetudinem testantia debemus accipere?*

Cæterum quis diligens politusq. scriptor Paradisi nomen imposuit atrio ad pluuiam colligendam destinato, in quo ob templorum, oratoriorum, domorum, balneorum,, & fontium congeriem, nulla elegantia, ortographia, symmetria, & maiestas esse poterat? Scio Symmachum compaginasse Atrium, & Donum Pontifices illud marmoribus strauisse, vt Anastasius pag.45.& 75.& Baron.ad an. 514.n.8. & 678. nu.1. Meos oculos non effugerunt alij Anastasiani loci pagg.19.155.162.199.& 206.in quibus de Atrio fit mentio, sed ijdem non mihi videntur tantam de illo præseferre pulchritudinem, vt ipsum per se solùm, admirationem excitando in literatorũ virorum ingenijs, Paradisi nomine appellari promeruerit. Non me latet.Martinum Polonum, aliumq. forsan sui temporis scriptorem notasse in Dono Pont. ad an. 675. *Hic decorauit illum locum ante Basilicam S.Petri, qui dicitur Paradisus*; verùm amphibologicè quandoque Polonum scribere obseruat Baronius ad an. 997. nu. 71. Mendacia eundem proferre scribit Vgonius Statione 38.ibi, *il più antico, appresso il quale habbia trouato scritto, è il poco vsato à dire il vero Martin Polono*: Et nugas eruditissimus Alexander Donatus lib. 1. c. 18. pag. 61. & seq. qui illius Chronicæ aliquali processu formato, vt aiunt Iurisperiti, auream hanc in illum profert sententiam; *Atque hic in testimonium historicæ eruditionis adducitur?* Et si vniuersa Chronica, quæ

sub Martini nomine vel typis, vel scripto circumfertur, ab integritatis suæ gradu deturbata, aliorum imperitia vel negligentia & fortè maleuolentia, fuit, vt notauit Allatius in disertissima Ioannæ Papissæ fabula, cur ignoto, falsoq. Deo thura dare volumus?

Quare cum partium simul iunctarum vnio constituat Paradisum in atrio eas continente, Paradisi titulum concedere debemus templo quoque S. Mariæ, quod maior meliorq. est atrij pars, concurrentibus in illo tot picturis, musiuis, marmoribus, ornamentis & cultu.

QVARTA OBSERVATIO,

Locus Anastasij in Paulo I. explicatur.

TOrrigius in cap. 18. profitetur, me scripsisse, verbum, oraculum, importare ecclesiam in illo Anastasij loco. *Infra ecclesiam B. Petri foris muros*
Paul. I. *huius ciuitatis Romanæ nouiter oraculum in honorem Sanctæ Dei Genitricis construxit iuxta oratorium Leonis Papæ.* Postea subdit Torrigius. *Vi è stato vn autore moderno, il quale credendo, che per oracolo ò oratorio s'intendesse da Anastasio vna Chiesa, si lasciò vscir dalla penna, che questa fosse la Chiesa di S. Maria in Tempulo. Non auuertendo che dice chiaramente il Bibliothecario: Infra ecclesiam B. Petri oraculum construxit.*

DILVCIDATIO IV. OBSERVATIONIS.

HÆc Torrigij verba tria inferunt. Primum, oraculum fuisse à me falsa interpretatione explicatum pro templo. Secundum, hoc oraculum non fuisse templum sed capellam; quod fortiùs inculcat, subsequentibus verbis eod. cap. *Paolo fece fabricare vna cappella e non vna Chiesa alla Madre di Dio*. Tertium, hoc templum esse idem cum S. Mariæ in Tempulo, à me temerè fuisse pronunciatum. Certè fictum est crimen, in quod me trahere conatur Torrigius, & nunquam somniaui confusionem hìc recensitam ab eodem, accuratè examinando quod scripsi. Diuersum est oratorium seu capella S. Mariæ iuxta Leonis Papæ oratorium, ab æde S. Mariæ in Turri: illud ædificatum nouiter à Paulo I. hæc ab eodem in fronte solùm instaurata & ornata: illud infra ecclesiam vaticanam, hæc in eius atrio: non illi sed huic conuenit Tempuli denominatio cum alijs qualitatibus, de quibus egi: ad oraculum illud, de quo Codex Marquardi, sunt referenda Pauli I. ornamenta à me relata, non autem ad oraculum infra ecclesiam, cuius nullibi mentionem feci. Veruntamen perpendendo totum caput 18. historiæ Torrigianæ, videtur ipsius auctor credidisse, vnum idemq. fuisse hæc duo loca, quæ nihilominùs distinguuntur in Codice Marquardi sequenti narratione. *Infra Ecclesiam B. Petri Apostoli foris muros huius Ciuitatis Romanæ nouiter oraculum in honorem S. Dei Genitricis construxit iuxta oratorium Leonis Papæ secus fores introitus S. Petronillæ atq. B. Andreæ Aposto-*

Apostoli musiuo & diuersis metallis eum adornans, vbi & effigiem S. Dei Genitricis in statua ex argento deaurato, quæ pensat libras centum, constituit; in quo oraculo & sepulturam sibi construxit. Fecit autem in atrio ante Turrem S. Mariæ ad gradus, quod vocatur Paradisus, oraculum ante Saluatorem in honorem S. Dei Genitricis Mariæ, miro opere, & decorauit magnificè.

QVINTA OBSERVATIO.

Ecclesiam S. Agathæ cum monasterio Tempuli, Leonis III. tempore fuisse apud S. Cæsareum in Palatio, impugnatur.

TOrrigius expresè fatetur, ecclesiam S. Agathæ cum monasterio Tēpuli fuisse Leonis III. tēporibus sitam prope templum S. Cæsarei in Palatio, quod est proximum Titulo S. Sixti: hęc sunt Torrigij verba cap. 15. *Si aggionge, che Anastasio Bibliothecario nella vita di S. Leone III. pone questo monasterio vicino à S. Cesario dicendo, Simulq. & in oratorio S. Agathæ, quod ponitur in monasterio Tempuli fecit canistrum similiter; & in oratorio Sancti Cæsarei, quod ponitur in monasterio de Corsas similiter fecit canistrum pensans libras duas & vncias tres. Dalle quali parole si comprende anche, che iui era vna Cappella in honore di S. Agata in memoria della Chiesa di Trasteuere, chiamata prima S. Agata, poi, per l'Immagine postaui, S. Maria in Turri.*

DILVCIDATIO V. OBSERVATIONIS.

QVam ſit errans hæc quintæ obſeruationis opinio, demonſtratur primò ex fallacia argumẽti; nam ex coniunctione verbali non ſequitur coniunctio duorum locorum materialium; v. g. Anaſtaſius nominat primò oratorium S. Agathæ cum monaſterio Tempuli; ſecundò oratorium S. Cæſarei, ergo primum materiale eſt annexum ſecundo pariter materiali. Millies hoc vtitur loquendi modo Anaſtaſius & ne aliunde, quàm ex vita eiuſdem Leonis probationem ſumam, locum vnum ſolummodo ex eodem aſſero, is eſt pag. 185. in fine. *Fecit in Eccleſia B. Laurentij foris muros idem Præſul veſtem albam roſatam cum chriſoclabo; ſed & aliam veſtem ſuper ſanctum corpus eius albam de ſtauraci chriſoclabam cum margaritis: & in titulo Calliſti veſtem chriſoclabam ex blatin &c.* Nulla hic poteſt ſumi æquiuocatio: notiſſima eſt diſtantia à Baſilica Laurentiana extra Vrbem ad Tit. Calliſti trãs Tiberim, & nihilominùs verbaliter coniunguntur.

Secundò ex deductis ab ipſo Torrigio in Hiſtoriæ cap. 5. illis verbis *Honorio di queſto nome il terzo d'animo tanto generoſo quanto pio ſi compiacque, che quelle monache aſſieme con la deuota Imagine foſſero transferite da quel luogo ad vn'altro congionto alla Chieſa dedicata à S. Siſto Papa II. principiato già con animo nobile dall'anteceſſore Innocenzo III. per vſo di quelle, che iui voleſſero monacarſi; ma morte interponendouiſi non puotè vedere fornita la fabrica, che poi dal detto Honorio fù in amplo è commodo edifitio compita. Venuta dunque la Domenica*

nica prima di Quadragesima, che in quell'anno, che fu il 1219. *& il terzo del nominato Pontefice, cadde nel giorno* 24. *di Febraro, l'Abbadessa col seguito di* 44. *delle sue spirituali figliole entrò nel sacro chiostro del nuouo monastero di S. Sisto.* Igitur si monasterium apud S. Sixti ædificari cæptum fuit ab Innoc. III. & perfectum ab Honorio III. illucq. moniales translatæ de regione Transtiberina, quomodo potuit sub Leone Tertio prædecessore dictorum Pontificum existere apud S. Sixti monasterium Tempuli cum oratorio & ecclesia in memoriam locorum trãs Tiberim existentium, quæ anno 1219. & non antea fuerant extincta? Repugnat hoc historicæ etiam veritati, & quicquid adducitur ad probandum existentiam dictorum locorum apud S. Sixti referri debet ad posteriora tempora Honorij Tertij. Vicinitas itaque monasterij Tempuli & ecclesiæ S. Cæsarei probatur de tempore Honorij Tertij, quando illuc moniales transmigrarunt, non autem de Leonis Tertij Pontificatu, quæ nullis iuribus verificatur.

SEXTA OBSERVATIO.

Imaginis B. Mariæ Virg. existentia Romæ. eiusq. in publica processione tempore S. Gregorij delatio defenditur.

CVm probauerim existentiam Imaginis in S. Mariæ in Turri penes moniales trans Tiberim Sergij Primi temporibus, illamq. publicè circumlatam fuisse

fuiſſe in maxima Vrbis calamitate à S. Gregorio Magno : hinc dupliciter argumentari videtur Torrigius, nempe, ſi Gregorij temporibus proceſſionaliter delata fuit Imago, eodem quoque tempore illa exiſtebat in S. Maria in Turri: Aut ſi tempore Gregorij illic non exiſtebat, delatio Imaginis proceſſionaliter neganda videtur. Hæc inferuntur ex Torrigij verbis relatis cap. 12. *E neceſſario, che il Lettore in queſto luogo conſideri, che tal Immagine auanti Sergio I. quaſi cent'anni ſtaua in Traſteuere, concedendo, che foſſe portata d'ordine di San Gregorio in proceſſione: onde il riponimento di eſſa Immagine nella Chieſa di S. Agata detta poi S. Maria in Torre, riferito nel capitolo ſecondo, fu auanti S. Gregorio, e non al tempo di Papa Sergio, come alcuni penſano.*

DILVCIDATIO VI. OBSERVATIONIS.

CRedidi Imaginem fuiſſe in Vrbe tẽpore D. Gregorij; & idem tempore Sergij. Scripſi, Imaginem ſeruatam fuiſſe tempore Sergij penès moniales trans Tiberim; ſed non conceſſi tempore S. Gregorij hìc aut illìc extitiſſe. Imaginis ſedes & cuſtodes ſub Gregorio non apparent, vt abſq. dubio ſub Sergio. Verùm ex eo, quod Imago fuerit Sergij tempore in eccleſia S. Agathæ, inferre adamuſſim, quòd in eodem fuerit tempore S. Gregorij, falſa eſt illatio. Probatur in Narrationis ℱ. Verum. & in §. Igitur. Imaginem abſque controuerſia extitiſſe in æde Sanctæ Agathæ tempore Sergij & ſub cuſtodia monialium; minùs autem tempore S. Gregorij: immò gradus antecedentium temporum ita ſunt obſcuri in dicta narratio-

ratione, & apud ſcriptores, vt iudicium de illis proferre, breuibus meis notis, periculoſum duxerim, idque hiſtorico, cuius partes ſunt, tempora, loca, homines, & res geſtas, elaborata diſtinctione, in hiſtoriam conferre, exoptandum videbatur.

Secundùm, videlicet, Imaginem non fuiſſe delatam in publica proceſſione, quod videtur aſſerere, vel ſaltem in dubium reuocare Torrigius, illis verbis, *concedendo, che foſſe portata d' ordine di S. Gregorio in proceſſione*; negandum procul dubio arbitror, tum, quia Narratio delationi præfatæ non repugnat; tum quia pietas in hanc Deiparæ Imaginem monet Romanum ſcriptorem, in nihilo diminuere fidem doctiſſimorum virorum Theodorici de Appoldia, S. Antonini, Ptolemæi Lucenſis, aliorumq. delationem teſtantium & à me allegatorum in iam editis notis.

SEPTIMA OBSERVATIO.

Imaginis miraculoſam tranſlationem ſub Sergio I. non autem III. contigiſſe docetur.

Torrigius negat, miraculoſam Imaginis tranſlationem è Laterano ad monialium eccleſiam tẽpore Sergij Primi, illamq. refert ad Sergij Tertij tempora. Verba Torrigij ſunt hæc in cap. 14. *Queſte haueuano in loro poter è la ſacra Immagine, che per diuina potenza, ò miniſterio angelico, fu riportata nel ſuo primiero luogo, il qual miracoloſo ſucceſſo diede à Papa Sergio occaſione di donargli vn Caſale con altri aggionti*. Tum, affert

affert donationis literas, quas cum in pluribus mendosas; nec non mutilas etiam in ijs ad rem nostram facientibus retulerit, iterum edere iudicaui castigatiores, & integras, ac originali, cum quo eas diligẽtissime contuli conformes.

SERGIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

TE Beata Mater, & Domina nostra Virgo Maria, & per te namque Efimia venerabilis Diacona, atque Abbatissa, tuisque successoribus, vniuersæque sanctæ Congregationis Ancillarum Dei introeuntibus, & in tuo sanctæ Genitricis Virginis Mariæ Dominæ nostræ in seruitio permanentibus in perpetuum. Conuenit Apostolico moderamini pia Religione pollentibus venibola compassione succurrere, & poscentium animis alacri deuotione impertire assensum. Ex hoc enim lucri potissimum premium apud Conditorem omnium Deum proculdubio promeremur, cum venerabilia loca oportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur confirmo, & dono te Beata, & Dei Genitricis, semperq. Virginis Mariæ Domina nostra, & per te Eufimia venerabilis Diacona, atque Abbatissa, vestraq. sancta Congregatione Ancillarum Dei ob redemptionem animæ meæ in perpetuum, id est, fundum vnũ in integrum, qui vocatur Casa Ferrata cum duobus Pantana maiore iuxta se, vnum videlicet vsque in ponte, qui vocatur Bussole, & alio pantano vsque in plagario maiore de riuo, qui vocatur Formentarolo: nec non & Casale, qui nuncupatur Riuo petroso, cum alijs fundis & casalibus, atq. vocabulis suis videlicet Vrbana, Monte pertusato, Storia-

no,

no, Siluano, Tordarolo, Paterno, & Ceruinarola cum omnibus finibus, terminis, limitibusq. ipsorum, sicuti nunc sunt, & ab origine fuerunt; cum terris, campis, pratis, pascuis, montibus, collibus, vallibus, padulibus, syluis, salectis, arboribusq. pomiferis, fructiferis, vel infructiferis ex diuersis generis, puteis, fontibus, riuis, aquis perennis, ædificijs, parietinis, arenarijs antiquis, adiunctis, adiacentibusq. suis, vnà cum ecclesia S. Nicolai vel cum omnibus ad eosdem fundos & Casales generaliter, & in integro pertinentibus, positis foris Portam Sancti Pauli Apostoli milliario ab Vrbe Roma plus minus sexto, & inter hos affines: ab vno latere Casale, quod vocatur Agelli cum aquimolo suo, qui appellatur Centimoli, & Casale, quod vocatur Sancti Apostoli, omnia de Monasterio nuncupato Cliuus Scauri: & ab alio latere Casale, qui vocatur Mostacano, & valle de Lauro, & rectè per silicem in capite prædictæ vallæ vsque in pariete lunga de fundo, qui vocatur Septem mellis, & per ipsam silicem per capite de Casale, quod vocatur Tassellacta, omnia de monasterio S. Sabæ retro, & ante per limite super caua, & super ipsum limitem vsque in plagario de supradicto Pantano, & rectè per ipsius riuo vsque in plagario maiore super se, & pèr ipsius plagario per capite de Pantanello vsque in tufo, qui aquam surgit, & per ipsum tufo, qui ducit aquam recte in limite, & per eadem limite rectè in piscina, & ipsam piscinam recte in limite vsq. in via carraria: & à tertio latere casale, quod vocatur Selaci, quod est de S. Paulo Apostolo, & per limite vsque in Casale, quod vocatur Aquasurgente: & à quarto latere casale, quod vocatur Quatrazano vsque in supradicto Ponte Bussoli iuris Sanctæ Romanæ, cui, Deo auctore, deseruimus ecclesiæ. Te supradicta

Beata

Beata Mater & Virgo Christi Maria, & per te Eufimia venerabilis Diacona, atque Abbatissa vestrarumq. Sanctæ Congregationis ancillarum Dei & per vos in eodem venerabili monasterio perenniter concedere absq. omni datione, vel factione confirmare deberemus.

Quapropter scientes nos vestram inopiam & ipsius monasterio res paganica infestatione affectas, & omnimodo deprædatas, vel annullatas, inclinati precibus vestris pro omnipotentis Dei amore, & intercessione tua Genitricis Virgo Maria, ac pro vestra omnia sustentatione, vt eidē omnipotēti Deo eiusq. intemeratæ & Virgini Genitrici debitas laudes possitis persoluere per hoc nostro apostolico priuilegiū ex præsenti quinta Indictione supradicto fundo, qui vocatur Casa ferrata cum duobus Pantana maiore iuxta se, vnum videlicet vsq. in ponte, qui vocatur Bussole, & alio pantano vsq. in Plagario maiore de riuo, qui vocatur Formentarolo: nec non & Casale, qui nuncupatur Riuo petroso cum alijs fundis, & Casalibus, atque vocabulis suis videlicet Vrbana, Monte pertusato, Storiano, Siluani, Tordarolo, Paterno, Ceruinarola cum omnibus finibus, terminis, limitibusque ipsorum, sicuti nunc sunt & ab origine fuerunt vna cum ecclesia S. Nicolai, vel cum omnibus ad eosdem generaliter fundos & casales & in integro pertinentibus, sicut superius legitur, Te præfata Dei Genitricis Virgo Maria, & per te tuasque sanctæ Congregationis seruitoribus in perpetuum confirmo ex auctoritate B. Petri, ac Pauli Apostolorum, quorum per Dei gratia Vicarij actione fungimur, nostraq. Apostolica censura roboramus, & confirmamus detinendum & iure proprio possidendum, ea quoq. obtestatione, omnimoda interuentione, vt omni tempore fruatis, & possideatis, & pro meis anime à tue sanctæ Congregationis Ancillarum

Beata Virgo Maria cantare debueritis per singulos dies centum Kyrie eleison, & centum Christe eleison.

Statuentes Apostolica censura sub diuina iudicij obtestatione, & anathematis interdicta, vt nullus successorũ nostrorũ Pōtificum, vel cuilibet magna, paruaq. persona, qualiscũque dignitatis sit, audeat te de prædicto fundora, suisq. omnibus pertinentijs molestè causis incumbere, sed securiter, & quietò in tuam venerabilem Ecclesiam maneat in perpetuũ.

Si quis autem (quos non obtamus) contra hoc nostrum Apostolicum Priuilegium agere, vel contendere præsumpserit, & in omnibus obseruare distulerit, sciat se anathematis vinculo esse dampnatum, & cum diabolo & omnibus impijs in inferno habeat portionem. Insuper componat in tua venerabile Ecclesia mancosos aureos quinquaginta.

Qui verò custos & obseruator extiterit & huius nostri priuilegij, constitutionis, benedictionis gratia à iusto iudice Domino Deo nostro consequi mereatur & à te in æterna particeps effici mereatur in secula seculorum.

Scriptum per manum Antonij Scriniari Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mense Augusto indictione suprascripta quinta † Bene Valete † Sexto decimo Kal. Augustas per manus Stephani Arcari S. Sedis Apostolicæ in mense, indictione, anno Deo propitio, Pontificatus Domini Sergij summi Pontificis, & vniuersalis Tertij Papæ in sacratissima Sede B. Petri Apostoli secũdo in mense, & indictione suprascripta quinta.

† Ego Geruasius Scrin. S. R. Ecclesiæ sicut inueni in veteri Priuilegio carticinio scriptum per manum Antonij Scrin. vt dictum est, ita exemplar hoc compleui & absolui.

Vtitur quoque Torrigius in fine cap. 13, auctoritate Benedicti ordinis S. Dominici expresè idem dicentis his verbis, *Sergius Papa* (Tertius) *donauit casale*

ſale, quod dicitur di Caſa Ferrata cum duobus pantanis, monialibus monaſterij S. Mariæ in Tẽpulo, occaſione miraculi, quod apparuit de Icona B. Mariæ, quam dictus Papa ad inſtantiam Canonicorum de Laterano portare fecerat de dicto monaſterio ad Sancta Sanctorum, quam Angeli eadem nocte cum magno lumine (videntibus monialibus, quæ propter hanc cauſam in oratione in eccleſia pernoctabant) reportauerunt, & in loco priſtino locauerunt. Ad idem probandum affert inſcriptionem fixam parieti eccleſiæ S. Dominici nouiter conſtructæ, quam recenſet in cap. 31. his verbis.

Hic ad Altare maius ſeruatur illa B. V. Mariæ Imago, quæ à S. Luca Euangeliſta delineata, colores, & formam diuinitùs accepit. Diu in Oriente culta, cæleſti demum diſpoſito vectore Angelico in Vrbem venit, nec longe ab hoſpitio trium Fratrum Tempuli, Seruuli, Ceruuli, qui Conſtantinopoli Romam petiuerant, ſedem nacta, quorundam culpa delituit. Tandem dormienti Tempulo vox cælo reddita, conquiſitam in D. Agathæ in Turri proximè condi iubet, ac honorem publicum inſtaurari. Tum diu mortalium votis cælo gratia reſpondit, & loco nomen Mariæ Tranſtiberinæ Monialium dedit; donec Sergius Tertius, quorundam obliquo zelo inductus Aedi Lateranæ inferendam decreuit. Indicta mox ſupplicatione publica ferebatur ingens pignus, collachrymantibus, ob tanti iacturam theſauri, ſacris Virginibus. Vbi ad locum (Splenis dicebatur) peruentum, repentè turbato cælo, mugire tonitrua, coruſcari fulgura, ferire fulmina, cunctis attonitis inuiti pignoris baiuli, fixi hærent. Itur ad Pontificem; is perculſus illicò adeſt, ac fuſis votis ſuis acceptam manibus reliquum itineris ad Lateranũ defert. Miracula crebreſcunt miracu-

lis, nocte insecuta, eodem vnde prius sublata, diuinitùs reponitur, mæstisq. Sororibus gaudia geminat. Nouitate ictus iterum Sergius anxius aduolat, sedulò inquirens, ex Antistita audit, Nocte intempesta deplorantibus orbitatem suam Virginibus, Deumq. orantibus, cæleste donum per fenestram illapsum pristino loco consedisse. Re probata Põtifex iussa damnat, Sacrum ibidem solemne facit, addicto Virginibus sacro peculio, locum prædijs & muneribus auget. Hæc illa est Imago, qua S. Gregorius Magnus (ex S. Antonin.) supplex Romam lustrauit, fugataq. pestilitate, Angelo pacis nuntio è culmine Hadriani Reginam cæli lætari iubente, salutem Vrbi restituit. Multis deinde annis ad Transtyb. cultam Honorij III. iussu. S. Dominicus Patriarcha, deductis ad S. Sixti Virginibus, deuotè gestatam detulit & ne religione læsa nauaret, interposuit, si fors, vt olim diuinitùs, Imago reuertisset, ipsis quoque mandato solutis, loco standum esse. Contigit ea translatio ad S. Sixti Anno MCCXIX. Febr. XXIV. Prima Quadrag. Dom. Inde post annos commoditate Virginibus in Vrbe frequentiori & salubriori laxata huc concessit sub an. 1575. Feb. viij.

DILVCIDATIO VII. OBSERVATIONIS.

TRia Torrigij fundamenta ad probandum, quòd Sergij Tertij, & non Primi pontificatu, translata fuerit Imago in Lateranum, facili negotio & iuribus per ipsum adductis corruunt.

Primum namque, quod sumit à Sergij Tertij donatione *il qual miracoloso successo diede à Papa Sergio occasione di donargli vn Casale con altri aggionti*, donationis cartula non probatur: & verba illa cartulæ *ob redemptio-*

demptionem animæ meæ; & alia *ſcientes nos veſtram inopiam*; & alia *pro omni veſtra ſuſtentatione*, itemq; ſequentia *Quapropter ferentes nos veſtram inopiam, & ipſius monaſterio res, paganica infeſtatione, affectas, & omni modo deprædatas, vel annullatas, inclinati precibus veſtris &c.* videntur potiores donationis cauſæ fuiſſe.

Secundum, de atteſtatione Fr. Benedicti non curandum: fuit enim Prior S. Sixti poſt annum Chriſti 1300. & de mandato Fr. Lapi de Prato Prouincialis Romani compoſuit librum, quem nos *Cataſto* vocamus, in quem compendiosè retulit bullas, breuia, Indulgentias,& documenta emptionum, venditionum, donationum bonorum ſtabilium, & mobilium, & ſimilia monaſterij monumenta; librumq. inſcripſit *Regiſtrum notabilium, & rerum, ac negotiorum Monaſterij S. Sixti de Vrbe*. cumq. recenſuerit per compendium Sergij III. donationem ab originali difformem, in eòque non legantur verba illa *occaſione miraculi*,& quæ ſequuntur de Imaginis tranſlatione, in foueam caderem cum cæco duce, ſi eius veſtigijs hærere vellem.

Ad tertium fundamentum ex inſcriptione, ſciendum eſt, quòd eam compoſuerat de recenti ex hiſtoria Pauli Vicentini quidam religioſus Ordinis S. Dominici, in eaq. non appoſuit verbum illud, *Tertius*, quod in hiſtoria non legebatur: eandemq; ſine huiuſmodi additione impreſſit anno 1632. diligentiſſimus eruditiſsimuſq; P. Melchior Inchofer in conjectaneis ad epiſt. B. Virginis ad Meſſanēſes: nec an. 1635. quo narrationem publicaui correcta, ſiue addita inſcriptio apparebat: Recentiſsima tamen videtur correctio ſiue additio ex inſpectione lapidis cum inter

verba *Sergius* & *quorundam* nouiter & compresse videatur additum verbum, III. Nec vano argumento moniales & aliqui fratres testantur, Torrigij auctoritate, additum fuisse verbum illud; cum ipse & non alius illam cum additione ediderit. Igitur si hæc additio desideratur in omnibus authographis, eaque à veritate historica abhorreat, cur in ea insistendum.?

OCTAVA OBSERVATIO.

Imaginis custodiam penès moniales SS. Sixti & Dominici mille ferè ab hinc annis fuisse firmatur.

TOrrigius videtur negare monialium S. Sixti successionem in locum aliarum monasterij Tempuli & S. Mariæ in Turri, & per consequens existentiam Imaginis B. Mariæ apud has moniales ante Sancti Dominici tempora. Colligitur ex historiæ suæ procemio, in quo hæc se profitetur scribere. *L'antica e veneranda Immagine di Maria sempre Vergine nostra Signora e di Giesù purissima madre dal tempo del santo, e gran Patriarca Domenico sino alli presenti giorni senza alcun spatio di tempo interrotto appresso le venerabili madri del monastero de SS. Sisto e Domenico di Roma con incredibile pietà e deuotione conseruata, sarà il soggetto dell'Historia.* Clarius in Histor.cap.6. in fine; *Et è da notare che questa Imagine si è conseruata appresso le monache di S. Sisto dall'anno 1219. sino al presente 1640. anni 421. e non quasi mill'anni, come ha scritto vn moderno: il che hò voluto auuertire, acciò non si prenda errore.*

DI-

DILVCIDATIO VIII. OBSERVATIONIS.

CErtiſſimum eſt, perſonas monaſterij, in quo Imago B. Virginis ſeruabatur, diuerſis temporibus eaſdem realiter non fuiſſe; quiſque enim mortalium centum elapſis, vt plurimum, annis, viam vniuerſæ carnis ingreditur; & inde fit, quòd alij in extinctorum locum ſubrogantur: verùm monaſterium aut ſolum mutet, aut eius clauſtra renouentur, ſemper idem cenſetur. Quid clarius monialium clauſtro cum Imagine apud S. Mariæ in Turri ſub Sergio I. de quibus in Narratione, & Torrigianæ hiſtoriæ capite 3.? Quis inficiari audebit, monaſterium Tempuli, monaſterium S. Agathæ in Turri, & monaſterium S. Mariæ in Turri trans Tiberim, quorum meminerunt Narratio, authores, & monumenta à me edita, vnum ideq. non eſſe? Forſan Torrigius negabit, moniales tranſlatas fuiſſe cum Imagine à præcitato monaſterio in Turri ad aliud S. Sixti, & transfuſionem iurium primi monaſterii, in ſecundum contra Bullæ Honorij III. apertiſſima verba; *Sanè cum eccleſia S. Mariæ in Tempulo vſque adeo in ſpiritualibus eſſet collapſa, & in temporalibus diminuta, quòd nequaquam ibi Abbatiſſa, & moniales ipſius poſſent commodè remanere, nos more induſtrij vinitoris, qui plantas fructiferas de loco ſterili ad fertilem ſatagit transplantare, tàm Abbatiſſam, quàm moniales omnes ad eccleſiam S. Sixti - - duximus transferendas*, & contra Diuum Antoninum, & alios, & contra publica documenta ab ipſo relata cap. 12. 15. & 17.?

Nec vlla indiget correctione (vt ait Torrigius

gius) auctor operis inscripti, *Ritratto di Roma moderna*, asserens de monasterio SS. Sixti & Dominici. *Quanto poi à queste sue monache hebbero il principio nella Chiesa di S. Maria in Trasteuere* (videlicet in Turri) *e di là furono in propria persona con vna loro miracolosa Immagine condotte da S. Domenico alla Chiesa di S Sisto, doue egli habitò per prima*. Nam benè ratiocinatur, si moniales cum Imagine è monasterio S. Sisti, & priùs ab alio S. Mariæ in Turri trans Tiberim translatæ fuerunt, ergò ab hoc Transtiberino originem duxerunt.

NONA OBSERVATIO.

Moniales honestissima causa, non propter luxum translatas ad Sancti Sixti monasterium probatur.

TOrrigius, moniales luxu solutas ad S. Sixti fuisse translatas proscribit, ad castè pièq. viuendum cap. 16. *Vedendo S. Domenico la rilassata vita di alcune monache, che dato di bando all'opere spirituali, con souerchia licenza dauansi in preda alle mondane lusinghe, mosso da santo zelo, ne diede parte ad Honorio III. il quale di ciò sentendo notabil disgusto, concesse ampla facoltà all'huomo di Dio di ridurre le smarrite pecorelle all'ouile dell'osseruante monastero; di cui egli hauesse, come buon pastore grandissima vigilanza: Egli abbracciando la carica scorrendo hor in questo, hor in quello discaduto monastero, predicò con tanto feruore, che moltissime riceuendo il lume della gratia diuina, si risolsero di mutar vita, & habito & entra-*

entrare nel nuouo monastero di S. Sisto, & in particolare vi entrarono quelle di S. Maria in Tempulo.

DILVCIDATIO IX. OBSERVATIONIS.

TOrrigius ficté hic procemiatur, fictumq. monialium luxum excelsè ornat. Si minus rectè de S. Sixti monialium honestate sentiebat, æquo animo ferre debebat, idq. silentio præterire. Certè quicquid dicendum sit de cæteris Vrbis sanctimonialibus, de quarum dissolutione non constat, nec meus est sermo, luce clarius monialium Tempuli & Sãcti Sixti religiosa munditia inuiolata per secula probatur: etenim in Narrationis antiquæ §. *Igitur vt præfatum est*. appellantur tempore Sergij Primi, castissimæ & regulares, ibi, *ancillis Dei, quæ hic castissimè ac regulariter conuersabantur*. Sergius III. in donationis cartula vocat huiusmodi monasterium *Sancta congregatio ancillarum Dei*. Honorius Tertius, nulla relaxationis & luxus causa, in vnum redegit omnes Vrbis Sanctimoniales; audiamus Theodoricum de Apoldia illius seculi scriptorem. *Per id tempus consentientibus Cardinalibus constituerat Honorius Pontifex omnes sanctimoniales per diuersa Vrbis loca dispersas, modo id fieri posset, in vnum redigere, vt & faciliùs possent regi, & cautius custodiri: Si sint enim in vnum collectæ, haud dubio minus difficilis est earum custodia*. Hæc igitur generalis vnionis causa honestissima videtur. Descendit postea ad vnionem particularem monialium, cuius causam ago, & hæc inquit, *Erat tum in Vrbe insigne quoddam monasterium sanctimonialium, quod S. Mariæ trans Tiberim*

rim dicebatur, in quo venerabilis & omni honore dignissima eiusdem Virginis seruabatur Imago, quam Beatissimus Lucas Euangelista ad vultus eius & habitus similitudinē ad viuum planè creditur depinxisse. Quæ quidem pijssima Imago, nescio quo casu, illi ecclesiæ sublata fuerat, sed illi cælesti miraculo fuit restituta. Eam verò, vt par est, illius monasterij sorores & Romani omnes ineffabili studio venerabantur. Ad hunc ergo locum B. Dominicus accessit, Abbatissam & Sorores omnes, vna tantùm dempta, ad Pontificis voluntatē inflexit, cunctæq. in manu eius obediētiam promiserunt, se inde migraturas, si illa dulcissima Imago cum ipsis vellet transferri. Bulla Honorij III. relata à Torrigio in historiæ cap. 17. honestissimam monialium translationis causam præsefert. *Sanè cum ecclesia S. Mariæ in Tempore vsque adeo in spiritualibus esset collapsa, & in temporalibus diminuta, quod nequaquā ibi Abbatissa & moniales ipsius possent commodè remanere.* Benedictus de Monte Falisco cautiùs scribendo, non luxus sed clausuræ causam affert, ibi, *Nota quod D. Innocentius Papa III. monasterium S. Sixti cum deuotione animi ædificare de bonis ecclesiæ cæpit, vt mulieres Vrbis, ac moniales aliorum monasteriorum Vrbis per diuersa vagantes possent ibi sub arcta clausura & diligenti custodia Domino famulari.* Antonius Senensis præteriti seculi scriptor in Chronico ordinis Prædicatorum; *Postmodum in eundem finem Romæ ecclesiam S. Sixti suscepit & illas omnes Virgines Deo dicatas in Dei vocatione firmas permanere adhortabatur, & mundi contemptis illecebris carnem cum vitijs & concupiscentijs crucifigere & noctes diesq. in Dei obsequijs expendere.* Recentissimo, qui inter annales ecclesiasticos recensuit susceptionem ec-

clesiæ

clesiæ S. Sixti, ac patrocinium S. Dominici erga sanctimoniales, certè indulgendum, si in aliquid, præter institutum excurrerit: verùm Torrigio, cui incumbebat monialium castimoniæ, pietati, deuotioni, & religioni patrocinari, quo auctore earum honestatem non conseruauerit ignoro: sicuti vnde hauserit illa verba, *S. Domenico ne diede parte ad Honorio III. il quale di ciò sentendo notabil disgusto* &c. cum in Bulla Honorij, in Theodorico & alijs nihil de D. Dominici querela, ac Pontificis displicentia legatur. Immò eædem Sancto Patriarchæ obsequentissimæ fuerunt in dimittendo veteri Transtiberino claustro, in eiusque manu primò & secundò voluntariam obedientiam promittendo, vt legitur in Apoldia apud Maluendam ad an. 1217. cap. 16. & religiosissimæ erga Imaginem, quam nudis pedibus è manibus dicti Sancti deuotissimè susceperunt: & de quibus ipse solicitam & specialem curam semper habuit, vt notat Benedictus citatus, cuius narratiuam erroribus scatentem & mutilam à Torrigio impressam expedit hic assuere pleniorem & castigatiorem.

NOTA, quòd D. Innocentius Papa III. Monasterium S. Sixti cum deuotione animi ædificari de bonis ecclesiæ cœpit, vt mulieres Vrbis, ac Moniales aliorum Monasteriorum Vrbis per diuersa vagantes possent ibi sub arcta clausura, & diligēti custodia Domino famulari: sed dum ad promotionem dicti loci feruentissimè insisteret animo, morte præuentus, Monasterium imperfectum remansit. Honorius autem Papa III. immediatè successor præfati Innocentij, qui Honorius ad instantiam B. Dominici fundato-

datoris, & institutoris Ordinis Fratrum Prædicatorum, ipsum Ordinem confirmauit, eidem B. Dominico, & suis Fratribus dictum locum S. Sixti ad eorum vsum concessit.

B. Dominicus processu temporis audiens dictum Monasterium ad vsum Monialium fuisse ædificatum, ductus teneritudine conscientiæ, noluit; quòd Fratres sui Ordinis vlteriùs ibi manerent: sed cum multa solicitudine, multòque labore Ecclesiam S. Sabinæ à summo Pontifice sibi, & suo Ordini impetrauit. Postmodum verò ipse B. Dominicus, ne locus S. Sixti ad Dei honorem ædificatus, ad alios vsus, quàm ordinatio ædificantis intenderat, poneretur, & etiam ipse, cui prædictus locus dudum concessus fuerat, aliquo remorsu conscientiæ læderetur, cæpit, ex commissione sibi à summo Pontifice facta per Vrbem diuersa Sanctimonialium Monasteria circuire, eisq. verbum Domini prædicare, & ad introitum dicti Monasterij admonere; sicque ibi multas voluntarias tandem sub debita clausura locauit.

Beatus ergo Dominicus omnes Moniales S. Mariæ in Tẽpulo, & magnam partem Monialium S. Biuianæ de licentia præfati Honorij Papæ, & de voluntate ipsarum transtulit ad prædictum Monasterium S. Sixti, ita quod vno die translatæ sunt 40. Moniales tàm de dictis monasterijs quã de diuersis alijs Monasterijs Vrbis ad Monasterium S. Sixti. Multas etiam alias Dominas seculares post hæc B. Dominicus ad Ordinem recepit, & cum alijs in dicto Monasterio reclusit.

Idem quoque B. Dominicus eisdem Monialibus sibi à Papa concessis habitum sui Ordinis, quo vtuntur, induit, & velum tradidit, faciem cooperuit, ad Ordinem recepit, professionem ipsarum secundum Regulam B. Augustini, & institutiones Fratrum prædictorum admisit.

Post hæc B. Dominicus ad informationem dictarum Monialium vocauit de Monasterio de Pruliano, quod ipse ædificauerat, Sororem Blancam cum septem alijs monialibus, quarum quatuor post aliqua tempora ad supradictum Monasterium redierunt. Prædicta vero Soror Blanca cum alijs tribus vsque in finem remansit in Monasterio S. Sixti, vbi eam B. Dominicus Priorissam instituit, quæ præfatas Moniales de Ordinis obseruantijs docuit, loqui per signum manuum indicauit.

Priorem quoque ibidem instituit B. Dominicus Fr. Tancredum, curam & solicitudinem interiorum & exteriorum ei committens. Cui fratres Ioannem de Calabria & Albertum Sacerdotes ad celebran. diuina in ipso monasterio sociauit; Fr. Rogerium Conuersum hispanum de Terra sua oriundum ad Rotæ custodiam deputauit, & multos alios Conuersos strenuos & industrios ad promotionem temporalium, quos cum dicto Priore posuerat, ordinat.

Prædictum monasterium, quandiu apud S. Sabinam demoratus est, frequenter visitans & qualiter proficeret in spiritualibus, & temporalibus solicitè perquirebat. Post transitum verò ipsius ob reuerentiam eius, & quod ipse solicitam & specialem curam de dicto monasterio habuerat, & eis firmiter promiserat, quòd à cura & regimine sui Ordinis nullatenus absoluerentur, veñ Patres Fratres Iordanis & Raymundus magistri dicti Ordinis alacrem, benignam, & solicitam curam de sororibus, & toto monasterio sicut B. Dominicus ordinauerat, in omnibus habuerunt. Omnia autem supradicta attestatæ sunt sorores Artemia, Viuiana, Maximilla, Angela de Scocta, Restituta, & Romana Calauita, quæ fuerunt à Beato ad Ordinem & professionem eo tempore in monasterio S. Sixti receptæ & ferè

per

per quadraginta annos post transitum eiusdem Patris in eodem monasterio mente deuotissima, & feruentissimo obsequio perstiterunt, ibiq. cursum vitæ suæ feliciter consummauerunt.

Torrigius obseruat, seu potius infert ex hac Benedicti narratiua duo Monasteria, ibi pag. 42. *Di qui vedesi, che nel bel principio del monastero vi entrarono di quelle di S. Maria in Trasteuere quarantaquattro, di quelle di S. Maria in Tempulo quaranta.* Lego, moniales S. Mariæ in Tépulo, non autē S. Mariæ trans Tiberim.

DECIMA OBSERVATIO.

Imaginem in S. Sixti templo post monialium discessum remansisse exploditur.

TOrrigius negat translationem Imaginis ab ecclesia S. Sixti ad aliam ædificatam ad Balnea Pauli: colligitur ex testimonio, quo vtitur in cap. 12. ijs verbis. *Giouanni Lupardo nel libro de mirabilibus Vrbis parlando della Chiesa di S. Sisto. Est hic Imago B. Virginis vna ex ijs, quas fertur Sanctus Lucas depinxisse: incolunt monasterium Patres ordinis S. Dominici.*

DILVCIDATIO X. OBSERVATIONIS.

SI verum esset quod decimò obseruatur, vniuersa Torrigij historia destrueretur; & frustra de Imaginis antiquitate, excellentia & identitate Sanctimoniales gloriarentur, si, ipsis ad Balnea Pauli translatis, in veteri S. Sixti monasterio Imago remansit à

Patri-

Patribus S. Dominici custodienda. Verùm quis est iste Ioannes Lupardus auctor sub Clem. Viij. deuotæ plebis, qui ausus fuit testari suo æuo existere apud patres S. Dominici in ecclesia S. Sixti Imaginem; contra tot auctorum testimonia, & indubitatam Patrum & monialium traditionem? quibus addo Vgonium in Statione 22. dicentem. *Hebbe la Chiesa di S. Sisto già vna Immagine di Nostra Donna di quelle, che dipinse San Luca, la quale, quando partirono le monache, fù portata al nouo monastero di Monte Magnanopoli.* ?

Audio Torrigium replicantem, Lupardum adduxisse ad probandum, Imaginem fuisse à D. Luca depictam, non autem ad reprobandum Imaginis translationem: Cui respondetur, hoc non probari de Imagine à monialibus culta, sed de alia post earum translationem existente in S. Sixti templo, in quo proculdubio nullam, præter hanc, moniales, & fratres celebrem B. Virginis Imaginem coluere.



Tan-

TAndem aliquando pugnæ decertatoriæ, ad quam à Torrigio, velut præconis voce, publicè citatus fui, finem impono. Conuitijs causam defendisse mihi visum non fuit: sin minus alicui videbitur, is sciat, mihi quoque fauere aduersarij protestationem illam, cap. 33. (Pregiudicare finalmente al prossimo, per non esser professiõn christiana, è da me alieno.) Præconis item voce, typis videlicet, victoriam ambire, honestissimum duxi, vt ex area fori, modo, quo in illam descendi, eodem exirem; idcircò defensionis iura euulgaui. Victoriam declarare tuum est, erudite Lector; eandèmque consecuturam spero, si quicquid in me est exilitatis, tibi probatum sentiam.

LAVS DEO,

Beatæq; Virgini Mariæ.

Ad Florauantem Martinellum Carmina.




D. BARTHOLOMÆI TORTOLETTI.

Nec tu pro meritis eris indonatus ab alto,
Martinelle, tuis, duplices tibi debet Imago
Inclyta Vindicias, quæ Montem, & Balnea Pauli
Virgineis Diuæ Matris splendoribus ornat.
Cuiq. penes superos sua nempe est gratia facto,
Nec Virgo pro se sumptos mercede labores
Egregia fraudat, negat aut pro munere dona.
Hæc vtinam imbueret nostram sententia mentem,
Contemptis stultæ illecebris telluris, vt omnis
Tenderet ad Cælos labor, atque æterna piorum
Concilia; est nobis domus illa, ibi quærere sedem
Iam dudum magno Diuum clamore monemur.
Cætera soluuntur; cinis est quodcunque beatum
Ducimus incerto liquidæ sub sydere lunæ.
Quid cantet vanos malè Suadæ frontis honores
Dulciloquus vates? foedetq. libidine Musas?
Quem mage non moueant intactæ Matris amores,
Et virtus Superis exculta, & gratia formæ?
Perge adeo, & ventis ad Sydera tende secundis
Felici scriptor calamo; nos vela secuti
Linquere mortales studijs discemus arenas.

D. GABRIELIS NAVDÆI P.

ERuta de tenebris fuerat quæ Virgo labore
Diua tuo, facili nunc quoque fulget ope;
Tollere nam veterem tabulæ cupiebat honorem,
Tempora qui tabulæ non bene prisca notat.
Cum subitò indomita repetens noua prælia dextra,
Conuellis scriptis æmula scripta tuis.
Hincq. simul geminum duplici tibi laude triumphum,
Authoris partes, vindiciæq. ferunt.



D. SEBASTIANI VANNINI
ANAGRAMMA.

Florauantes Martinellus

LAVS. NVLLO. STAT. FINE. MARIĘ

CVr pia Christiparæ praebetur Imago secundis,
Martinelle, tuis suspicienda typis?
An quia nomen, LAVS NVLLO STAT FINE MARIĘ
Cognomenque simul forsitan insinuant?
Nimirum laus Virginis infinita coegit
Te, dare scripta nouis prodigiosa typis.
Quæ si quis probris audet proscindere, laudem
Nempe Dei Matris destruit, aut lacerat.

D.PAN-

ΠΑΝΤΕΛΕΗΜΟΝΟΣ ΛΙΓΑΡΕΙΔΟΥ τοῦ Χίου Ἐπίγραμμα.

Οὔνομα σὸν φράζει Φλωραβάντι πρόκριτον ἄνθος,
  Αὐσονίων φωνῇ, ἐξέχων ἀγλαΐῃ.
Ἀνθολόγος δ' ἄρ' ἔοικας ἑκάστοτε, ὡς ἀπὸ κήπων
  Εὐαγέων σελίδων ἄνθεα τερπνὰ λέγων.
Καὶ στεφάνοις στεφέεσσι τεοῖς χαριτώνυμον εἶδος
  Εἰκόνος ἠγαθέης ἐμπνέον εὐσεβίην.
Ἦ ῥα λάτριν Φλώρας σὲ φερώνυμον οὐκ ὀνομήνω,
  Ἀλλ' αὐδῇ δὲ λάτριν παρθενομητροκόρης.
Ὧτε μέμηλεν ἔπαθλον ἀκήρατον ἄνθος Ὀλύμπου
  Κάλλεσι πρεπτεῦον καὶ κατ' ἐπωνυμίην.
Οὖλε μέγα τε χαῖρε τρισόλβιε, ὅττι γενήσῃ
  Ἀνθοφόρος τελέθων, αὖθις ἀεθλοφόρος.

D. PANTALEONIS LIGARIDII CHII EPIGRAMMA

Te Florauanti dicunt tua nomina florem:
  Flos es qui reliquos pulchrior ante nites.
Scilicet è ſacris flores legis vndique chartis,
  Ceu legit è vernis lilia cultor agris.
Floribus atque tuis florentia ſerta laboras,
  Virginis vt cingant obſequioſa caput.
Te famulum haud dicam, referentem nomina, Floræ;
  Virginis æternæ numina quippe colis.
Integrumq. tibi florem conceſſit Olympus
  Nomine qui primus imperioſus habet.
Viue diù felix; nam ſi tua nomina florem
  Nunc geſtant, poſthac florida ſecla feres.

D. IO. IACOBI RICCII.

Qvam pietas, quam prisca fides venerata priorum est,
Virginis en cultum poscit Imago nouum:
Quæ latuit gentes tacitis per secula claustris,
Gentibus emersit iam recolenda pijs:
Cui nubem tetra obiecit rubigine liuor,
Protinus è tenebris emaculata nitet.
Martinelle, tuus dedit hoc calamusq. labòrq.
Quem nequeat rursus frangere liuor edax.
Munera quæ poscis nunc? quisquis adoret vt oret?
Si tibi id exoras, præmia magna feres.

